CAESARIS CREMONINI CENTENSIS

IN SCHOLA PATAVINA Philoſophi primæ Sedis:

De Formis quatuor Corporum Simplicium, quæ vocantur Elementa,

DISPVTATIO.

Ad Illuſtriſsimum Virum Antonium Quirinum Senatorem Prudentiſſimum.



Permiſſu Superiorum, & Priuilegio.

VENETIIS, Apud Io. Baptiſtam Ciottum. M DC V.
Sub Signo Auroræ.

ILLVSTRISS. VIRO ANTONIO QVIRINO SENATORI PRVDENTISS.

Cæſar Cremoninus F. P.

QVI Venetias in dies veniunt, Vrbem admirantur Auguſtiſsimam, aquis firmatam: Templa ſuſpiciunt, Tecta, Fora, Arces, Turres, bellicum Terra, Marique apparatum; omnia ſupra omnem fidem ſplendida. Verumtamen: ab vndis excitari: fortiter muniri: magnificè exornari, opus eſt induſtria hominum longo tempore elaboratum. Quod ego admiror, Dei eſt opus; ingenium ſcilicet Venetæ Nobilitatis, illud quidem (dicam vno verbo) iudicij in

Cunis maturi, vt nuſquam Gentium largiorem prudentiæ ſementem beneficam Dei manum feciſſe, pro certo haberi oporteat: ac ſi Diuina Bonitas diuturnitatem Veneto Imperio deſignauerit, quantam Mundo. Inter omnes verò te vnum Antoni Quirine, Auis edite omni, & Belli, & Pacis eximia dignitate glorioſè perfunctis, ſoleo reuereri: quem hactenus indicarunt ſapientem grauiores quique Magiſtra tus, indicabunt poſthac ſapientiſsimum, grauiſsimi, ad quos te iam iam promouendum eligentium deliberatio vltrò pollicetur. etenim eam nactus es omnium ſcientiarum, & rerum regendarum notitiam, vt quodcumque tibi detur ardui, & difficilis negotij, nihil ſit, aut vtile, aut honorificum, quod à tuis conſilijs non poſsit expectari: quibus præclariſsimis dotibus illud adiungis, vt quidquid es (es autem quid maximum) id nihil velis eſſe tibi ipſi, ſed totum Reip. quod ſanè eſt verè eſſe Ciuem. Sapere enim, ſed nolle ſibi, at Patriæ ſapere, illius eſt, qui ciuili guber-

nationi

nationi ſit optimè educatus. Tua hæc merita ad nos peruenerant, mè non adhuc Pa tauium profecto: cum veni, repperi maiora. Acceſsit humanitas ſingularis, qua me ignotum ex tua ſola animi magnitudine adamaſti, ac ſpontè in clientelam ſuſcepiſti. Qua eadem benignitate ipſe nunc fretus, exoptaui mea ſcripta tuo nomine nobilitare. Quod, ſi tu læto vultu, vt ſpero, conſenties, rem mihi ex voto ceſsiſſe exiſtimabo, & me tibi quàm maximè deuinctum profitebor. Viue diù, Patriæ, & honorum beneficio, & me habe inter illos, qui tuæ virtuti plurimum tribuunt.

GLi Eccellentiß. Signori Capi dell'Illustriß. Consiglio di X. infrascritti, hauuta fede dalli Signori Reformatori del Studio di Padoua, per relation del Reuerendo Padre Inquisitor di Venetia, & del Circ. Secretario del Senato Zuanne Marauegia con giuramento, che nel libro intitolato Cæsaris Cremonini Centensis, &c. De Formis quatuor corporum Simplicium, quæ vocantur Elementa, Disputatio, non si troua cosa alcuna contra le leggi, & è degno di stampa, concedono licentia, che posßi esser stampato.

Dat. Die 17. Maij 1604.

D. Donà Basadonna.
D. Benetto da Cà Taiapiera. } Capi dell'Ill.mo Cons. di X.
D. Antonio Lando.

Illustriß. Cons. X. Secret.
Leonardus Otthobonus.

COPIOSISSIMVS INDEX RERVM OMNIVM NOTATV DIGNIORVM.

Prior Numerus Sectionem : Posterior Pag. indicat.

A

F

L

M

N

O

P

Q

Repa-

R

Ob-

T

FINIS.

Errata sic corrigito.

Pag.	*Lin.*	*Error*	*Correctio.*
8	7	sic	sit
14	26	nsit	sint
21	7	differentia	differentiæ
46	9	tertio	tertia
48	4	substantiale	substantiali
50	22	secundas	duas
	31	appositum	oppositum
52	10	ponit *delendum*	
57	6	sed	sed non
	27	doctrinæ	doctrina
58	23	in figuratum	infiguratum
60	27	corpore	corpori
61	19	excedente	excedenti
63	20	Auerroes	Auerroem
65	5	quia	tum quia
85	20	uerum	uerò
88	5	omnem	omne
	6	Aristelis	Aristotelis
	9	alteratione	alterationis
90	1	dessimilaribus	dissimilaribus
99	17	&	at
102	11	formam	forma
104	19	reprobare	reprobari
110	18	fit	sit
112	4	in ista	insita
	8	Hunc	Nunc
125	33	materiæ	materia
126	29	modus	nodus
128	19	generatione	generatio
132	18	benè *delendum*	
140	1	alternationis	alterationis
143	24	non	modo
153	11	mihi	misti
	27	Quòd	Quod
158	33	has	his
174	1	altteratione	alteratione

CAESARIS CREMONINI CENTENSIS

De Formis Elementórum, SECTIO PRIMA.

Propositio dicendorum.

DE formis ſimplicium corporum, quæ elementa nuncupantur, dicere in animo habens, quæſtionem accipio tractandam valde difficilem; ſimul autem & maximè neceſſariam, quæ reſoluatur. Eſt profectò difficilis, quia inter Scholas integras eſt cōtrouerſa: quandoquidem ſunt Græci ex vna parte: Latini mordicus ex alia: Auerroem in ea, neſcio, quem dicam. Apud quoſdam præterea de Græcis non conſtat, quid voluerint. Si itaque varietas ſententiarum, & diſputationum eſt argumentum difficultatis, erit hæc quæſtio difficillima. Eſt hæc eadem, altera ex parte maximè neceſſaria, quæ reſoluatur, quia eſt queſtio de principio totius interne tranſmutationis. Quod enim ſcribit Ariſt. de Gener.& Corrupt.

Queſtionis de formis elemẽtorũ difficultas.

Neceſſitas.

A tex.

tex. 1. secundi eorum librorum, cùm ait: *Generatio, & corruptio non insunt rebus natura constantibus sine sensibilibus corporibus*. Id vniuersaliter de omni interna mutatione est audiendum. Internam autem mutationem voco omnem mutationem, locali excepta, sequutus Aristotelem 8. Physic. tex. 59. Ista igitur est quæstio de principio, atque ideo est quæstio maximi momenti, quare diligentissimè tractanda. Sermo enim circa principia debet esse accuratus, quia minimus error in principio fit maximus in fine, vt habetur tex. 33. primi de Cœlo, & quia, non benè intellectis principijs, necesse est ignorari quæcunque ex principijs dependent. Vnde hoc sensibili principio totius naturalis internæ transmutationis non benè accepto, necessarium est totam illam peruerti. Danda verò mihi est opera, vt quæstionem ita habeam, ne eam solùm ad contraria dicentem resoluam, quod non esse hominis bene philosophantis dicebat Aristot. secundo de Cœlo tex. 80. sed vt ad rem ipsam pro viribus meis iuxta eiusdem Aristotelis, qui naturæ genius est appellatus, philosophica principia, quæ firmiora, & certiora omnibus alijs à sapientissimis quibuscunque per tot secula habita sunt, illam determinem. Methodus tractationis hæc erit. Diuidam tractatum in tres Sectiones. Prima sententias Græcorum, Auerrois, & Latinorum continebit. Altera Aristotelis opinionem proponet, & confirmabit, reprobando glosas, quas eius dictis aliter opinantes solent adhibere, & declarando omnia, quæ, pro eiusdem sententiæ explicatione, sunt opportuna. Tertia obiectiones sigillatim mouebit, & remouebit. De quatuor igitur corporibus simplicibus, vocatis elementis, est futura disputatio, quæ corpora sint, quibus scilicet formis formata. Materiam quidem primam, illorum proximum subiectum esse omnes ponunt. De eorum formis est difficultas: vtrum, preter qualitates manifestas, quæ sunt caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, oporteat ad illa substantialiter constituenda, haberi alias formas immanifestas, & innominatas, quarum istæ qualitates sint accidentia, siue pro-

Marginalia: Mutatio interna quæ. — Quæstio hæc est resoluēda secundū principia Aristotelis. — Methodus seruanda in hac disputatione. — Quid in tribus Sectionibus huius operis cōtinetur. — Difficultas circa corpora simplicia tota in eorum formis consistit.

proprietates, ſiue inſtrumenta, an potius iſtæ formę innomi natæ ſint, non minus ſine re, quàm ſine nomine: adeo vt illæ ipſæ qualitates ſint differentiæ ſubſtantiales, quæ materiæ coniunctę eſſentialiter ſimplicia corpora conſtituant, ignem, aerem, aquam, & terram. Vtraque ſententia defenſores ha bet: Hinc inde diſtinctiones, argumẽtationes, inuolutiones. Hoc nos ſtudebimus, vt nulla diſquiſitione neceſſaria pręter miſſa, quantũ per nos fieri poſſit, rem dilucidè euoluamus.

CAP. PRIMVM.

Proponitur Græcorum opinio.

PVTANT Gręci, non eſſe in elementis alias for mas ante qualitates, quas volunt eſſe differen tias ſubſtantiales immediatè materiæ primæ adiunctas ad ea conſtituenda. Quoniam ta- men non deſunt, qui de ipſis aliter opinentur, operepretium eſt, locos adducere, quibus pateat, hãc, quam diximus eſſe illorum ſententiam. Incipiemus autem ab Ale- xandro tanquam à Principe illius Scholæ. Is igitur primo de Anima, cap. 2. ſic ſcribit: *Verumenimvero in igne, quod eſt na turale, & ſimplex corpus, calorem, & ſiccitatem ſpeciem facimus ab hisq́, atque in ÿs genitam leuitatem.* Libro de ſenſu capi- te de ſapore diluens dubitationem de pugna elementorum, ita loquitur: *Hanc idcirco dubitationem hoc modo diluam, quo- niam & ſi memoratis quodq́ ſuis facultatibus formatur, & abſol uitur, tamen igneum corpus non eſt tantum calor, & ſiccitas, nec aqua dumtaxat humor, & frigus, quæ formæ ſunt; ſed etiam his ſubÿcitur eiſdem corporibus materia, quæ eſt harum qualitatum receptaculum.* Quæſtio pręterea illa, quæ habetur primo Na turalium Quæſtionum, cap. 6. Cur ſi magis eſt aqua per frigi dum, quàm per humidum, eius quidem mutatio ex frigido in calidum non corrumpit illam, ex humido verò in ſolidum corrumpit, hanc eandem de qualitatibus præſefert ſenten-

Alexãder primo de Anima cap. 2.

Idem libro de ſenſu, cap. de ſapore.

Idem primo Quæſtionum Naturalium, cap. 6.

tiam. Supponit quippe has qualitates frigiditatem, & humiditatem esse aquę essentialiter constitutiuas, licèt magis constituatur per vnam, quàm per aliam. Quòd verò id supponat, est per se euidens, sed & in adnexo quęsito expressum ab Alexandro habetur, cum ait: *Hoc quoque de ipsa quæsiuerit aliquis; quamobrem, si per frigidum est ei esse, intensio in frigiditate corrumpit ipsam*. cap. 26. primi Quæstionum Naturalium sic habetur: *Est enim contrarietas in formis materialibus, vt in elementis videmus*. Hanc contrarietatem ipse agnoscit in qualitatibus sensibilibus, quę sunt elementorum formæ, primo de Anima, cap. 3. vbi habet: *Namque si vbi vnum dumtaxat est subiectum, quod ijs, quæ ex se facta sunt, nullam differentiam confert, siccitas, & humiditas, caliditas, & frigiditas. vbi duæ simul qualitates coeunt in ijs, quæ ex ipsa materia gignuntur, tantam differentiæ causam præsefert, vt ex vna eademq́; materia, aliud ignis, aliud terra, aliud aer, aliud aqua gignatur.* Si (ait Alexander) materia informis, & indifferens per solam assumptionem harum qualitatum sic variatur, vt simplicia corpora inter se adeò diuersa constituantur, quid non faciet varietas temperamenti? Intendit enim eo loco ad animę generationem ex elementis, & nisi hæ illi sint formę elementorum, tota disputatio ruit. Et clarè patet, quòd contrarietatem elementa constituentem, quam dicebat in primo Quæstionum, ponit in qualitatibus, cap. 18. primi de Anima ita loquitur: *Igitur tactilium rerum susceptio intermedio corpore indiget, ex quo differentiæ corporum, quatenus corpora sunt, tactiles habentur, siccitas, humiditas, caliditas, frigiditas, ex quibus qualitatibus prima, & simplicia corpora definitionem adipiscuntur*. Si sunt differentiæ, in quibus consistunt corpora naturalia, quatenus corpora naturalia, quod est secundum esse proprium, & substantiale, ergo sunt differentiæ constitutiuæ substantiales. Si ex his definitionem accipimus, ergo sunt hæ formæ, quia forma definitur quod quid erat esse, & in secundo Physicorum text. 11. de forma Aristoteles sic loquebatur: *Priusquam accipiat formam, quæ secundum*

Idem primo Quæst. Naturalium, c. 26.

Idem primo de Anima, c. 3.

Idem primo de Anima, c. 18.

rationem, quam definientes dicimus, quid est caro aut os. Primo Meteor. comm. 2. exponit dicta Aristotelis in secundo de Generatione tanquam componentis elementorum substantiam ex qualitatibus, & materia. In principio quarti ait: *Elementa his qualitatibus specificari.* quarto Metaphysic. com. 16. *In substantia enim terræ siccum est, in substantia aquæ humidum.* Si etiam librum de Mistione, qualem habemus Latinum, bene legamus, hoc idem facilè intelligemus. si Græcum codicem, qui non est ita mancus, accipiamus, nihil clarius, quàm quòd hæc, quam diximus, sit Alexandri de his qualitatibus sententia. Idem enim semper profert, quod sanè est proprium Alexandri, in eisdem scilicet principijs semper consistere. Non est igitur dubitandum, quin hęc sit opinio huius viri, quatuor scilicet qualitates esse differentias formales elementorum. Dicit quidem Iandunus 5. Physic. quęstio. 4. hoc non dixisse Alexandrum, nisi sub conditione. Sed certè nec locus, quem ipse adducit, nec isti, quos nos adduximus, nec alij quos adducere potuissemus, loquũtur ex conditione. Non est etiam, quòd aliqui misereantur existimationis grauissimi huius Interpretis, quam in hac opinione certò periclitari existimant, & ideò nolint cõsentire, eum ita sensisse; ostendetur enim non esse aliter sentiendum, si quis velit rectè sentire. Attestantur de huius viri opinione ea, quę de illo Simplicius, & Auer. dicunt: Simplicius primo de Cęlo com. 36. ponit Ioannem Grammaticum obijcientem Aristoteli contradictionem, quòd dixerit in Prædicamentis, substantiæ, nihil esse contrarium; eo autem loco, ex contrarijs motibus arguat substantiarum naturas esse contrarias, quod euidenter ponit corpora secundum substantiam esse contraria. Qua posita Ioãnis obiectione, proponit solutionem Alexandri proprijs eiusdem verbis, quam Alexander talibus cõcludit: *Sed in elementiis species, secundum quas ignis est, & aer, & aqua, & terra, contraria sunt, sicut & ipse in libris de Generatione, & Corruptione dicit. propter hoc enim in seinuicem est ipsis transmutatio.* Quæ verò sint ista contraria dicta in libris de

Idem primo Meteor. commen. 2.

Idem 4. Meteor. in prin.

Idem 4. Metaph. com. 16.

Idem libello de Mistione.

Iandunus de Alexandro.

Aliqui de Alexandro.

Simplicius de Alexandro.

Io. Grã. obijcit Arist. contradictionẽ.

Solutio Alex. ad contradictionem Ioannis ex Simplicio.

de Generatione, & Corruptione, quę sunt species, secũdum quas elementa constituuntur, statim subiungit: *Ostendit autem in secundo de Generatione, specificas qualitates simplicium, & primorum corporum esse siccitatem, humiditatem, caliditatem, & frigiditatem.* Quocirca clarè habetur ad mentem Alexandri has qualitates esse specificas differentias elementorum. Auerroes 5. Physicorum com. 10. quęrit, quomodo ibi dicatur ab Aristotele, substantiam non esse contrariam substantiæ; in libris verò de Generatione ponatur ignis contrarius aquę, & terra äeri, & habet hæc verba: *Et Alexander dicit ad hoc, quòd hoc, quod dixit in libro Prædicamentorum est de substantijs, quæ sunt composita ex materia, & forma. in libro autem de Generatione loquitur de simplicibus, de formis scilicet, quæ sunt in prima materia.* Et cũ disputasset contra Alexandrum, tanquam ponentem qualitates esse formas elemẽtorum, subiungit, se inuenisse in libris de Generatione dictum ab Alexandro, *Quòd elementa non sunt contraria nisi secundum qualitates, non secundum formas.* Et dicit, quòd erat lętus in hoc, sed desinat lætari; rectè enim id dicitur ab Alexandro, & nihil facit pro Auer. vt suo loco patebit. Nunc quod intendimus, inde accipiamus; ex Auerrois scilicet testimonio fuisse Alexandri sententiam, quòd quatuor qualitates sint formæ elementorum. Post Alexandrum libet Themistium adducere, qui ab Auerroe Alexandri abbreuiator com. 2. 12. Metaphysicorum quacunque ratione est nuncupatus. Vnicus autem esto eius locus 5. Phys. tex. 10. ibi ipse ad uerbum sic habet: *Sed dicet quispiam, cum aqua in ignem vertitur, tunc videri motum in substantijs fieri, vtpotè, quòd de contrario in contrarium conuersio illa procedat.* Quid dubitetur notum est: videatur resolutio. Ponit Alexandri responsionem his verbis: *Huic occurrit Alexander, conceditq́ nonnullas ignis qualitates esse qualitatibus aquæ contrarias, frigiditatem caliditati, & humiditatem siccitati, nec tamen ex eo accipi vult vniuersum ignem esse aquæ contrarium; quippe quæ non ex qualitatibus tantum, sed ex alijs quoque complusculis constent.* Ipse non est contentus

Auer. de Alexan.

Alex. de contrarietate elementorum.

Themistius 5. Physic. tex. 10.

Dubitatio.

Solutio Alexandri.

tentus ſolutione Alexandrea, & ſuam proponit. Cum autem quæſitum duo ſupponat: vnum, ignem eſſe contrarium aquę: aliud, ignem in aquam conuerti, concedit primum, & negat ſecundum dicens: *Ego verò falſum id eſſe arbitror, quod proponitur. nam ignem in aquam nego conuerti poſſe, niſi ſe prius in aerem verterit; aer verò, & ignis iam apertiſſimè non aduerſantur.* Reſpondet, non eſt verum: vbi eſt contrarietas, ibi eſſe motum. Nam ad hoc, vt ſit motus, requiritur vt vnũ contrarium in aliud mutetur, quia motus eſt de contrario in contrarium. Si igitur alicubi ſit contrarietas, ibi tamen non ſit conuerſio vnius contrarij in aliud, non erit ibi motus, id autem in aqua, & igne contingit. etenim eſt quidem inter illa contrarietas, verùm aqua in ignem non conuertitur; non enim poteſt in ignem mutari, quin prius in aerem mutetur: quòd ſi poſtea aer in ignem mutatur, eſt alia mutatio, nec propter hoc dici poteſt aqua ſimpliciter in ignẽ mutari. Ex hoc toto ſatis apparet, Themiſtium concedere aquam igni eſſe contrariam ſubſtantialiter, & cum ponatur contraria ratione qualitatum, ipſas qualitates eſſe differentias ſubſtantiales. Id, quod melius patere poterit, ſi ea conſideremus, quæ in his Themiſtij dictis Auer. conſiderat. Auerroes igitur comm. 10.5. Phyſicor. conſiderans Ariſtotelis argumentum, in ſubſtantia non eſt motus, hæc habet: *Non ſequitur, ſi in ſubſtantia ſit contrarietas, vt in ea ſit motus, quia ſi ponuntur elementa contraria ſecundum formas tantum, non erit in eis motus, quia ſubiectum eorum eſt in potentia, & ſi eſſent contraria ſecundum vtrumque, nec eſſet in eis tranſmutatio, ne dum motus.* Deducit hanc conſequentiam Iandunus quæſtione quarta ex dictis à Philoſopho, primo Phyſic. tex. 51. hoc pacto. Contraria (inquit) nõ poſſunt habere inuicem tranſmutationem, niſi habeant vnum ſubiectum commune, quod exiſtens ſub vno, ſit in potentia ad aliud. Quare, ſi elementa ſint contraria, & ſecundum formam, & ſecundum ſubiectum, non poterunt inuicem mutari. Tunc ſequitur, *& cum Themiſtius concedit hanc conſecutionem, reſpondet, quòd ignis non tranſmutatur*

Solutio Themiſtij.

Aqua igni ſubſtantialiter cõtraria ſecundum Themiſtium.

Auer. in dictis Themiſtij cõſideratio.

Iandunus Auerrois conſequentiam deducit.

Reprehenditur Themistius ab Auer.

tur ad aquam nisi per medium. Ignorauit (inquit) non valere hanc consequentiam, si est in substantia contrarietas, ergo in substantia est motus. Sed quomodo hoc dicit Auer. de Themistio, si (vt nos supra diximus) etiam Themistius idem dicit, quòd scilicet non est vera consequentia: vbi est contrarietas, ibi est motus? Aduertendum est, quòd Themistius simpliciter illam concedit; quasi contrarietas sic tota causa motus, nullo alio antecedente requisito, sed solùm requisito aliquo consequente, non respectu contrarietatis, sed respectu ipsius transmutationis; hoc scilicet adiuncto, quòd fiat transmutatio de vno illorum cõtrariorum in aliud. tunc enim illa conuersio erit motus, quòd si nõ fiat, non erit, quia motus est de contrario in contrarium. Concedit igitur Themistius illam simpliciter, & solùm in transmutatione ipsa aliquid adiungit. Auerroes verò dicit, illam non esse cõcedendam non ratione alicuius adiunctionis, quæ requiratur, sed ratione propria ipsius consecutionis, quę simpliciter non est vera, ob causas dictas, quę huc reducuntur, quòd contrarietas non est causa adęquata motus, sed aliud antecedens transmutationem tanquam eiusdem principium, & causa, simul cum contrarietate est requisitum. Reprobat postea Auerroes dictum Themistij, quia sit sermo valde debilis, dicere aquam non conuerti in ignem, nisi prius in aerem conuertatur, quia oppositum habetur à Philosopho in secundo de Generatione: Deinde, quia hæc est dispositio omnium contrariorum mediatorum, etiam in accidentibus, quòd extremum non mutatur in extremum nisi per medium, quare secũdum dictum Themistij etiam in illis non esset motus. Ait itaque Auerroes malè resolui quęstionem, vt dicunt Themistius, & Alexander; sed solutionem quæstionis debere esse, quia non valet: vbi non est contrarietas, ibi non est motus, quòd est id, quod Philosophus dicit in textu. ergo vbi est contrarietas ibi est motus. Contrarietas enim est vnum de requisitis essentialiter ad motum, & ideo, vbi non est contrarietas, ibi non est motus; non tamen sola contrarietas est essentialiter requisita,

Dubitatio de Auer. dicto cõtra Themistium.

Resolutio dubitationis.

Contrarietas non est tota causa motus.

Auerroes contra Themist.

quisita, sed præter illam requiritur subiectum cõmune actu existens, sique hoc desit, quamuis adsit contrarietas, non tamen erit motus. Vnde concludit Auer. quòd ponere contrarietatem in substantia, vt illi ponunt in formis elementorum, nihil malum est, plus quàm destruere iudicium Aristotelis, qui opposito vtitur simpliciter prolato, & tanquam certo. Quantum verò ad labefactandam demonstrationem, qualiscunque sit, qua cõcluditur, quòd in substantia non est motus, hoc dictum: quòd formę elementorum sunt contrariæ: & quòd in formis substantialibus est contrarietas, parum facit, vt fuit declaratum. Patet itaque, quòd Auerroes simul ponit Themistium & Alexandrum tanquã in hoc conuenientes, quòd in elementis sint contrariæ formæ substantiales, quæ sunt ipsę qualitates: Quòd si Themistius aliter sensisset, proculdubio Auerroes id proposuisset, Themistiumque pro sua sententia contra Alexandrum produxisset. Hanc autẽ, quam nos dicimus esse Themistij sentẽtiam, illud confirmat, quòd primo Physicorum tex. 54. sic scribitur: *Nam ignis apertissimè ex contrarijs constat, quippe qui feruida, & sicca natura sit, quorum frigiditas, & humiditas contrariæ qualitates habentur. Oportet autem id, quo dest subiectum contrarijs in sua natura nullum habere contrarium, alioquin necesse esset, vt alterutrum, aut non susciperetur, aut corrumperetur.* Ex quibus clarè patet, illas qualitates à Themistio poni tanquam constituentes naturam ignis. Satis itaque (vt existimo) patet ex dictis Themistij, & ex disputatione Auerrois contra illum, Themistium esse in sententia cum Alexandro; elementa scilicet secundum formas esse contraria, & illorum formas esse has qualitates. Post hos duos est Simplicius, septimo Physic. com. 23: *Sed neque secundum calorem, & frigus, atque siccitatem, & humiditatem mutatio semper alteratio est: quando porrò ignis ex aqua fit, mutata humiditate, & frigiditate in siccitatem, & caliditatem, non dicitur alteratio talis mutatio, quia substantialis, & specifica est mutatio.* Quare secundum istum, calor, & siccitas sunt substan-

Auer. quòd ponere contrarietatem in substantia, vt Alexand. & Themistius faciũt nihil malum.

Themistius 1. Phys. tex. 54.

Simplicius 7. Phys. com. 23

Idem 5. Phys. com. 11.

tia ignis, vt frigus, & humor aquæ. 5. Physic. com. 11. ait: *Sed quærat aliquis, quomodo substantiæ inter se non sint contrariæ, vt ignis, & aqua, vt sit substantia substantiæ contraria; si autem hoc, quomodo mutatio ignis, & aquæ inter se, cum sit ex contrario in contrarium non est motus? Quare & substantia habet motum.* Soluit: *Vel dicendum, quòd in aqua, & igne sunt contrariæ qualitates, frigidum calido, & humidum sicco, in quibus non est solùm ignis natura, sed etiam in leuitate, & claritate, quibus videretur magis terra esse contraria; sed ignis forma in omnibus qualitatibus est, & in substantia, quæ subijcitur qualitatibus. quare igni simpliciter nihil est contrarium, etsi qualitates ignis, & aquæ inter se sunt contrariæ.* Secundo Physic. com. 11. scribit: *Vt ergo se habet in generatione substantia, atque vt fit, ita est aliquid eidem contrarium; verùm non ei, quatenus est subiectum, sed quatenus est forma in subiecto, secundum hoc aliquid est contrarium ei: scilicet non secundum subiectum, sed secundum id, quod est in subiecto. nam igni, quo est constitutum, & compositum, atque substantia talis, nihil est contrarium, sed secundum formam, nam secundum caliditatem, & siccitatem, & motum ad locum supremum, quo ad hæc habet contraria, & generatio inest ei secundum hæc.* Apertè caliditas, & siccitas dicuntur forma ignis. Com. 29. primi de Cœlo: *Deinde primis qualitatibus, secundum quas substantiantur quatuor elementa, non omnibus omnes, neque secundum omnem complexionem commixtis, aliæ qualitates constituuntur.* In Prædicamentis in vltima proprietate substantiæ: *Ignis autem non suscipit caliditatem, sed in substantia ipsius est; nihil autem se ipsum recipit.* In Ante Prędicamentis, cap. de ijs, quę sunt in subiecto: *Similiter autem, & caliditas substantiæ quidem ignis pars est.* Quod dicit; quia ignis est etiam, ex materia, vt infra exponitur: *Completiuas, vt ignis caliditatem, ignis quidem partem vtique dicet; in subiecto autem, in ea, quæ sine qualitate materia.* Cap. de Qualitate in expositione tertiæ speciei: *Quamuis neque qualitates simpliciter existentes, sed substantias magis: si quidem partes substantiarum substantiæ sunt; aut quia*

Idem 2. Physic. com. 11.

Idem primo de Cęlo, com. 29.

Idē in Prædic. c. de substātia.

Idem in Ante Prędicamētis.

Idem cap. de Qualitate.

secun-

secundum rationẽ quidem ipsam, & speciem, & substantialem participationem non est dicendum, caliditatem ignis passiuam qualitatem, sed partem substantiæ; qualificationem autem, quæ in corporibus fit ab ipsa, hanc dicendam passiuam qualitatem. Eodem cap. de Qualitate in fine proprietatis, quòd qualitas habet contrarium: *Quoniam autem quidam putant, Aristotelem relinquere aliquid esse contrarium substantiæ, quia substantia quidem sunt elementa, terra, ignis, aer, & aqua: dicit autem, aquã quidem igni, terram autem aeri contrarium. sciendum, quòd & hæc secundum inexistentes qualitates habent contrarietatem. nam aqua quidem frigida est, & humida; ignis autem calidus, & siccus; terra frigida, & sicca; aer autem calidus, & humidus; hæc autem sunt qualitates. Non secundum substantiam igitur habent contrarium; sunt enim in vna naturali substantia, sed secundum qualitates ibi eo existentes.* Non agnoscitur etiam hoc loco, aliud componens elementa, prężterquã materia, & qualitates. Non minus omnibus istis Ioannes Grãmaticus idem sentit, primo de Generatione com. 72. *Calidum, inquam, & frigidum, & humiditas passiones sunt informis materiæ; passiones autem informantes, perfectiueq́;.* Ergo sunt formæ; ergo non est forma in materia ante illas. Secundo de Generatione comment. 16. ait: *Sed determinandum est etiam de contrarietatibus, quænam sunt, & quot sunt, secundum quas materiæ aduenientes complentur elementa quatuor, quæ prima dixit corpora.* Hę contrarietates sunt primæ qualitates, ergo his complentur elementa. Ita supra dixerat Ioannes: *Ex qua materia, assumente in formæ ratione contrarietates, fiunt elementa.* Materia illa, est materia prima, ergo non habet ante istas alias formas, ergo istę constituunt elementa. Ne autem omnes locos adducam. primo Physic. super tex. 45. contradicens illis, qui nomine simplicium, volunt intelligi accidentia, obijcit; quòd in elementis, tanquam substantijs, oppositę dispositiones sunt euidenter nominatæ: *Si quidem ex calido infrigidum, ex humido insiccum, & è contra fiat mutatio.* Contra Proclum ratione 11. cap. 5. quia hæ qualitates sint substantiales elementis,

Io. Gram. 1. de Generat. com. 72.

Idem 2. de Generat. com. 60

Idem 1. Physic. super tex. 45.

Idem contra Proclum ratione 11. c. 5.

contendit dari etiam posse quantitatem substantialem: *Siquidem trina dimensio, quia quantitas est, est accidens. & caliditas igitur, & siccitas in igne, quia qualitates sunt, accidentia erunt.* Et infra: *Non enim caliditas in igne, qualitas aliqua est, igni accidens; sed substantiales eius, & constitutiua differentia.* Et concludit: *Vt igitur est substantialis qualitas, ita & quantum substantiale.* Post omnes istos sunt alij eiusdem Scholæ. Olympiodorus, quarto Meteor. in principio, causas formales elementorum dicit qualitates ipsorum: ita ad verbum: *Caliditas namque & frigiditas, aquæ, & igni causæ formales attributæ sunt; siccitas autem, & humiditas, aeri, & terræ.* Diuus Iamblicus est in eadem sentẽtia apud Simplicium primo de Cœlo commen. 36. Psellus in Physicis has qualitates vocat elementorum differentias εἰδοποιοὺς, formatiuas: & dicit naturã ignis esse calidum, & siccum; aeris calidum, & humidum. Michael Ephesius etiam in libro de longitudine, & breuitate vitę, loquens de corruptione, quatenus à contrario fit, cum ponat materiam quodammodo aduersari formæ, & materiam igni subiectam, atque alijs omnibus, habere ante formam ignis aliquam qualitatem (quæ alia occasione erunt consideranda) agnoscit caliditatem, & siccitatem pro forma ignis. Inquit enim, quòd cum materia prima qualitate illa imbuta, accipit caliditatem, & siccitatem, id ipsum iam ignis est. Dexippus primo Quæstionum in Prædicamenta, cap. 21. ait: *Ignis essentiam explet caliditas.* Porphirius cap. de substantia loquens de differentijs substantialibus, quas dicit esse illas, quæ subiectum explent, ac perficiunt, ita dicit: *Vt caliditas inest & aquæ calidæ, & igni: sed aquæ non est substantialis, propterea quia licèt sublata ea sit, frigida effecta aqua, non interit: at igni, cum sit substantialis, cum ab eo recedit caliditas ipsum corrumpit.* In vltima proprietate eiusdem Prędicamenti ait: *Ignem verò caliditatem non suscepisse, sed in substantia sua eam habere: ita vt admittere ea non valeat, quæ habet, sed aliquid, quod extrinsecus sit.* Ammonius in Prædicamento substantię super illa parte: Cõmune omni substantiæ in subiecto non esse,

Olympiodorus 4. Meteor. in princ.

Diuus Iamblicus.

Psellus.

Michael Ephesius.

Dexippus.

Porphirius.

Ammonius in Prædicamento substantię.

esse, cum materiã primam proposuisset, eam primo per tres dimensiones, in molem augeri ait, vt fiat, quasi corpus qualitatis expers; deinde subiungit: *Huic igitur, parte quadam, calida, & sicca accedens qualitas, ignem effecit; frigida, & humida, aquam; humida, & calida, aerem; sicca, & frigida, terrã.* De quibus qualitatibus ita sequitur: *Substantiæ autem, quatenus ignis, aquæ, elementorumq; reliquorum sunt completiuæ.* Et infra: *Insunt autem substantialiter elementis, cum completiuæ eorum substantiæ sint.* In Prædicamento Quãtitatis in principio: *Deinde verò quoniam quantum secundum sibi locum vendicat in rerum natura. prima enim materia (vt sæpe proditum est) cum incorporea, informis, infigurataq; sit, prius in molem elata quantitatem consequitur, ac tres dimensiones capit, fitq; triplici præditum distantia, quod secundum subiectum Arist. nominat. tũc si qualitates suscipit facitq; elementa: verbi gratia, quod trino constat spatio, caliditate, siccitateq; accepta, fit ignis; frigiditate autem, & humiditate, fit aqua.* Hic certè nulla antecedit forma substantialis innominata, quæ sit particulariter ignis constitutiua, sed solùm ter dimensum de Prædicamento Quantitatis. Vniuersa itaque Græcorum Schola in hoc conuenit, quod proposuimus à principio; non esse scilicet alias formas in elementis ante qualitates, sed has ipsas esse illorum differentias substantiales. Quod verò habetur apud istos hac in re difficile, id in sequentibus dilucidabitur. Ego quidem noui (vt & Simplicius dicit de se ipso disputante cõtra Ioannem Grammaticum) visura hæc superflua; quia assuetis in Grecorum Schola nulla de hac re extet dubitatio; & quia potuisset sufficere vnà Auerrois auctoritas, 8. Metaph. com. 5. dicentis: *Et ideo videmus plures expositores dicentes apertè, quòd differentiæ substantiales elementorum sunt in istis qualitatibus.* Expositores dicit Græcos, quare significatur hanc fuisse communem opinionem. Quòd si dicit plures, id refert ad illud dictum, apertè; quia in varia locutione, fortè aliqui aliquibus reddebant rem obscuram; vt etiam contigit posterioribus, qui ex ijs, quæ variè apud ipsos leguntur, aut negant,

Idem in Prædicamẽto Quãtitatis.

Auctoris excusatio.

Auer. dictum 8. Metaphys. com. 5.

gant,

gant, hanc fuisse illorum opinionem, aut saltem dubij sunt, quid credant; fortè etiam aliqui non adeò cōstanter pronunciabant. Nos igitur ita facere oportuit ob istos, qui nunc hæsitant, aut etiā contendunt, contrariam hos Phylosophos habuisse sententiam: omnia autem cadent, re benè explicata. Opere precium etiam fuit transcribere illorum dicta: quandoquidem magna pars eorum, qui nunc philosophantur (ne scio, qua sua infelicitate) est auersa à lectione horum Interpretum. Adducam autem (quod etiā in progressu faciēdum mihi est) locos secundum translationes, quæ præ manibus sunt: nolens Græcis textibus tractatum implere. Neque etiā ex interpretationibus magis vnam elegi quàm aliā, sed sumpsi, quæcunque fuit ad manus. Sic etiam in Auerroe faciemus, quia ipse est cū Gręcis in eadem Naui: Satis est nonnullis vidisse in libris nescio quibus aliquas illius auctoritates, quòd statim se Auerroistas dicunt. Transcribemus similiter locos Arist. non enim nos ignari sumus, nunc fieri, misera quadam calamitate horum temporum, vt à textibus Philosophi legendis Scholares distrahantur: &, si Deus velit, eis persuadeatur, illorum lecturam esse inutilem. Non auditur Auerr. qui id cōclamat, non semel, sed egregiè, 3. de Anima com. 30. *Sed illud, quod fecit istum hominem errare, vt nos etiam longo tempore, est, quia moderni dimittunt libros Aristotelis, & considerant libros expositorum.* Nunc obsecro quid fiet? quando in id incumbitur, vt etiam libri bonorum expositorum nsit in contemptu.

Ratio auctoris, quæ illum ad sic scribendum impullit.

Consuetudo infelix studendi.

Auerrois dictū, 3 de Anima com. 30.

CAP. SECVNDVM.

Dubitationes circa opinionem Græcorum ex illorum varijs dictis.

DVM Græci expositores varia occasione de his qualitatibus sunt loquuti, varia; semper tamen vera, & rectè dicta, de illis pronunciarunt, ex quibus acceptum fuit à nonnullis, illos non esse in opinione constan-

tes,

tes,quinimò dubios maximè, & hæsitantes. Nos locos aliquot illorum ambiguos proponemus, & exponemus, ex quorum expositione, si alij supererint, ij poterunt postea à quolibet similiter explicari. Primò quidem apud omnes id habemus,non esse contrarietatem in substantijs simplicibus secundum formas, sed secundum qualitates; quare videtur accipiendum, qualitates non esse formas secundũ illos;postquam sic loquendo, eas clarè à formis distinguunt. Est postea Ammonius in Prædicamento substantiæ, qui loquẽs de igne,quomodo dicatur magis calidus, quam aer. Sic scribit: *Ac dici potest, qualitates has, non ceu substantias magis, & minus suscepisset. qualibet enim in proprio subiecto plurima est, vt accidentia verò intendi, ac remitti.* Vbi duplex esse istarum qualitatum videtur agnoscere; vt scilicet aliquando se habeant vt substantiæ, aliquando vt accidentia. quod quidem dictum videtur maximum hac in re negocium facere. Simplicius primo de Cœlo com.36.de Arist.sic loquitur: *Substantiam propriè in Prædicamentis indiuiduam accipiens, compositam ex materia, & forma, vt subiectam accepit ipsam. Propter quod, neque de subiecto ait ipsam esse, vt vndiq; significet, quòd subiectum sit; contraria autem, secundum quod contraria, accidentia sunt. differentiæ enim sunt; differentiæ autem qualitates, & accidentia.* Vbi habemus contraria esse accidentia: has qualitates esse contrarias, quare erunt accidentia.Idem Simplicius, 2.de Anima, com.46. loquens de nutrimento, contrarium ipsum quoque appellat: *Non cõtrarium vti forma formæ. Nutriens enim, & nutritum substantiæ sunt, sed quia alimento adnexa est eius, quod nutritur priuatio. potentia enim est ipsum alitum, suntq; vt priuatio, & forma contraria.* Vbi videtur negare contrarietatem inter formam, & formam. Secundo pariter de Anima com.106. sic habet: *Rectè igitur inquirens, quid nam sit in tactu commune; licet non sit id nominatum, constituit id esse corporeum, quatenus corpora sunt determinatiuum. Est enim quid commune, tanquam forma eorum, quæ fiunt, determinatrix, peculiares habens subsequentes proprietates. In*

positione

In substantijs non est cõtrarietas secundũ formas, sed secundum qualitates.

Ammonius in Prædicamẽto substantiæ.

Simplicius 1. de Cœlo com. 36.

Contraria secundum quod contraria accidentia sunt.

Differẽtię qualitates & accidentia.

Simplicius 2. de Anima cõ. 46.

Nutrimẽtum non est contrariũ, vt forma formæ, sed q̃a illi adnexa ei quod nutritur priuatio.

Idem Simplicius 2. de Anima,com.106.

positione quidem, & situ habens grauitatem, & leuitatem, & inter istas medios impetus, & declinationes. Iuxta verò actiones, quas adinuicem habent, caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem, easq́ quæ ex his sunt complicatæ, duritiem, & mollitiem. Videtur hic Simplicius apertè cognoscere has qualitates, non tanquam constitutiuas corporum, sed tanquã proprietates in sequentes formam constituentem. Com.64.eiusdem secundi scribit: *Multæ verò sunt passiuæ qualitates, quarum tactus tanquam propriorum sensibilium discretiuus est, caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, durities, mollities, grauitas, leuitas, asperitas, lenitas.* Hic apertè dicit, istas qualitates esse per se sensibiles, & propriè sentiri à sensu tactus. Infra sequitur: *Quoniam substantiam per accidens sensus cognoscit.* Ergo ille qualitates non sunt substantię. Com.11. 5.Physicorum: *Sed ignis forma in omnibus qualitatibus est, & in substantia, quæ subijcitur qualitatibus.* Quibus verbis videtur apertè ponere substantiam formantem elementa subiectam qualitatibus. Ioannes Grammaticus. 2. de Generatione, com.41. ita scribit: *Alij verò quidam effectiuas causas assignarunt potentijs corporum, caliditati, frigiditati, quæ instrumenta sunt, effectiuæ causæ, non ipsæ effectiuæ causæ. per has enim, vt per instrumenta natura operatur.* Ex hoc loco videtur posse accipi, has qualitates secundum Ioan. Grammaticum, esse instrumentarias naturæ elementorũ, quæ sit alia ab his; vt videatur velle ponere formas innominatas quarum hæ qualitates sint instrumenta ad agendum. Themistius tex. 1. primi de Cœlo ait: *Nec non affectionibus, quæ illis accidunt, corporibus nempe, magnitudinibusq́, de quo genere sunt, durities, mollities, caliditas, frigiditas, grauitas, leuitas.* tertio de Cœlo text. vlt. de elementis particulariter: *Affectiones verò ipsemet qualitates dicuntur, nempe eorum caliditas, frigiditas, humiditas, & quæ eiusdem generis existunt.* Affectionem autem vocat ipse accidens tex. primo, primi: *Verum hic omnia communi nomine affectiones nominantur, quandoquidem ex eorum numero sunt, quæ enti in actu superuenire solent.* Dexippus in Prædicamentis,

Qualitates elementorum dicere videtur Simplicius non cõstitutiuas, sed consequentes.

Idem lib. 2. de Anima, cõ. 64

Qualitates quatuor per se sũt sensibiles.

Sensus per accidens cognoscit substantiam.

Idem Com. 11. 5. Physicor.

Ignis forma in omnib. qualitatibus est & in substantia, quæ illis subijcitur.

Io. Grammat. 2. de Generat. com. 41.

Themistius. 1. de Cęlo tex. 1.

Affectionem Themistius dicit accidens, & has qualitates vocat affectiones.

Idem 3. de Cęlo tex. vlt.

Idem 1. de Cęlo tex. 1.

Dexippus.

mentis secundo lib. cap. 3: *Ac species quidem, & forma, pars compositæ, & indiuiduæ substantiæ est, eamq́ explet, atque idcirco magis, & minus admittere nullo modo potest; vt qualitates, quæ formis essentialibus inhærent, quæ alicubi sunt rationalitas, alicubi caliditas, alicubi siccitas, nihil obstat, quominus admittant, vt vel magis, vel minus dicantur.* Est dictum illud Alexandri apud Auer. com. 10. 5. Phys. *Et idem in sua expositione habetur, quod nos dicimus de nobis; scilicet, quòd elementa non sunt contraria, nisi secundum qualitates, non secundum formas: & eramus læti in hoc.* Alexander ipse 4. Quæst. cap. 4: *Si verò secundum passiones, qualitatesq́ fit contrarietas. igni enim secundum caliditatem, & siccitatem sunt aliqua contraria, & ipsius securis.* Ibi videtur coordinare qualitates istas ignis qualitatibus securis. Et sic videtur non esse tutum de his Philosophis affirmare, quòd nõ alias formas in elementis agnoscant, præter istas qualitates.

Forma nõ admittit magis, & minus, sed qualitates formæ, quæ alicubi sunt rationalitas alicubi caliditas

Auer. de Alexãdro 5. Physic. com. 10. Elementa nõ sunt cõtraria secũdum formas, sed secũdum qualitates ex Alex.

Alex. 4. Nat. Quæst. c. 4. Alex. videtur coordinare has qualitates qualitatib. securis.

CAP. TERTIVM.

Explicantur Græcorum sententiæ.

VIDIMVS Græcorum locos, è quibus occasionem aliqui arripiunt proferendi; illorum sententiam esse incertam, & inconstantem. Reliquum modò est, vt ipsam explicando, hosque locos considerando, nihil in ea incerti esse, & inconstantis aperiamus. Obseruandum igitur, quod Græci dicunt: corporis constitutionem in proprio esse substantiali, quatenus est corpus, prouenire ex trina dimensione: ac proinde dicunt fieri corpus ex materia in molem educta; adeo vt secundum ipsos quantitas constituat substantiam corporis, quatenus est corpus: sic Ammonius in Prædicamento Quantitatis: sic Ioannes Grammaticus: sic alij, vt supra visum est. Cum autem sic constituant de substantia corporis, quatenus est corpus: non postea ita constituũt

Corporis quatenus est corpus constitutio in proprio esse substãtiali, secundum Græcos.

Corpus, prout dicit compositum substātiale naturale est diuersum à corpore quatenus est corpus secūdum Græcos.

de substantia corporis, quatenus est compositum substantiale, & corpus naturale; sed hoc per substantiales differentias, & formas superuenientes materiæ, sic in molem eductę, constitui opinantur. Considerant igitur primas elementorum qualitates duobus modis. Vno modo in ordine ad corpus, quatenus est corpus simpliciter: & tunc vocant eas qualitates, & accidentia; quia enti iam existenti in esse corporeo superueniunt, & possunt in eadem ratione adesse illi, & ab illo abesse, absque illius corruptione: omnino quia non sunt prorsus de corporis constitutione, prout est corpus, dicuntur accidentia corporis, prout est corpus. Alio modo considerant eas qualitates in ordine ad corpus, prout est tale corpus, & tale compositum substantiale naturale: & tunc vocant eas formales differentias, specificas, constitutiuas, & formatiuas; quia ex illarum adiunctione ipsi materiæ sic in molem elatæ fit tale corpus naturale in tali esse naturali; velut ignis, aut aqua. Secundò considerant Græci vlterius elementorum qualitates. Aut enim ipsas accipiunt, secundum se singulas, vel etiam si copulatas; non tamē secundum eam copulationem coniunctas, quæ requiritur vt sint formatiuę. In exemplo considerant aliquando caliditatem per se, aut etiam caliditatem, & siccitatem simul; non tamen quatenus ad illum statum peruenerint, qui est status formationis, sed prout sunt qualitates simpliciter: & sic vocant eas non substantias, sed qualitates; quia, vt sic, nihil constituunt, sed solùm denominant, nec faciunt ad esse substātiale alicuius corporis. Aut considerant illas, vt sunt in tali esse, talis coniunctionis, & in illarum collectione dicunt formam elementi esse constitutam: & sic vocant eas formas non quidem, vt velint formam cōsistere in illa harum compositione, sed illam, quæ magis est, talis corporis formam dicunt, prout sibi aliàs copulat. Non enim secundum omne esse caliditas constituit ignem, sed si sit talis, cum aliarum coniunctione. Tertiò illas considerant, quatenus passionem efficiunt in sensu, aut fiunt patiente materia; & sic passiones nominant. Quartò

Elemētorum qualitates duobus modis cōsideratę à Gręcis.

Elementorū qualitates multis modis acceptę à Gręcis.

Primæ qualitates elemētorū sunt formę quā sunt in esse copulationis.

Elemētorum qualitates dicuntur aliquādo passionęs.

easdem

easdem considerant, prout habent vim agendi: & vocant eas potentias, virtutes, & huiusmodi. Hæc doctrina, an sit rectè tradita, postea apparebit. Nunc id solum est quærendum, vt ostendatur, quòd sit doctrina Grecorum. Non afferam autem omnia, quæ in Græcis ad id faciunt, sed aliqua solùm cõmemorabo, quæ sufficiant ad id, quod intenditur.

Elemẽtorum qualitates potentiæ, & virtutes dicũtur.

De primo igitur, quod attinet ad materiam ter dimensam, quæ deinde qualitates accipiat, sunt multa, & varia apud istos Interpretes. Ioannes Grammaticus multis in locis, in libris Physicorum, in libris de Ortu & Interitu multa dicit, quę etiam aliquando videntur indigere conciliatione; præsertim his acceptis, quę dicit in rationibus contra Proclum. Simplicius & ipse in primo Physicorum com. 65. multa disputat. Sed vt dixi nunc istud non quęrimus, quærimus solùm veritatem doctrinæ suprà propositæ. Ioannes Grammaticus primo Physic.com.60. hæc habet: *Atque ipsorum elementorum, & absolutè rerum omnium est subiectum, quod trino interuallo dimensum est, hoc est corpus qualitatis expers, in quo immutabili manente, vt in corpore, mutationes fiunt; substantialibus qualitatibus circa ipsum agentibus, & patientibus.* Ammonius in Prædicamentis cap. de substãtia: *Hæc igitur* (loquens de materia prima) *in molem exaucta, subiectum secundum, hoc est corpus exquale, seu qualitatis expers ex Arist. facit sententia,* In Prædicamento Quantitatis:. *Prima enim materia (vt sæpè proditum est) cum incorporea, informis, infigurataq; sit, prius in molem elata, qualitatem consequitur, ac tres demensiones capit, fitq; triplici præditum distantia, quod secundum subiectum Aristoteles nominat. Huic postea aduenientes qualitates, formant elementa, vt ex superioribus liquet.* Quid sit de isto ter dimenso ad mentem Philosophi: Vtrumque sit idem cum illis dimensionibus interminatis, quas ponit Schola Auerr. alibi erit considerandum. Nunc id primò accipiatur, quòd materiam in se acceptam, prout est principium substantiale simpliciter, dicunt Græci, nec qualem, nec exqualem: ideſt, neque in habitu, neque in priuatione formæ, & qualitatis.

Materia ter dimensa.

Ioan. Gram. 1. Phys. com. 60.

Ammonius in Prędic. substantiæ.

Idem in Prędic. Quantitatis.

Materia nec qualis, nec exqualis secundum Græcos.

Materia dicit corpus ex quale à Græcis.

Ter dimensum est prius formis naturalib. non tẽpore, sed natura, secundũ Græcos.

Cum acceperit hoc ter dimensum, dicunt eam corpus ex quale; ideſt corpus expers qualitatis. Id insuper accipitur, quòd hæc omnia iſti proponunt ad doctrinam, & prius formis naturalibus dicunt eſſe hoc ter dimensum, non tempore, ſed natura; quemadmodum alibi declarabitur. Hæc autem eſt doctrina ſimilis Platonicæ de figuris acceptis ad conſtituenda elementa, vt poteſt haberi ex Simplicio tertio de Cœlo com. 7. & rectè intellecta, eſt doctrina Ariſtotelis. Sed hæc omnia ſuo tempore. Nunc id habemus, quòd Græci eſſentiam corporis, quatenus eſt corpus, ponunt & rectè in hoc ter dimenſo: & qualitates ſuperuenientes dicunt accidentia, & qualitates; illis ſcilicet conſideratis in ordine ad corpus, prout eſt corpus: quas poſtea dicunt formatrices, & ſubſtantiales, in ordine ad compoſitum naturale, quod (cum ſuperuenerint huic ter dimenſo) ſimul cum illo in eſſe ſubſtantiali conſtituunt. Quòd autem in illo terdimenſo nondum habeatur corpus naturale, & compoſitum naturale ſubſtantiale, Ammonius in Prædicamento Quantitatis: *Tunc ſic qualitates ſuſcipit, & fit compoſitum facitque elementa.* Quòd etiam conſiderando illas qualitates in ordine ad corpus, vt corpus, dicant eas accidentia: in ordine ad tale corpus, ſubſtantiales differentias, patet ibidem: *Quæ ergo ſuperueniunt qualitates corpori, ſecundo inquam ſubiecto, quatenus ipſi qualitate carenti adueniunt, ſunt accidentia. Subſtantiæ autem; quatenus, ignis, aquæ, elementorumque reliquorum ſunt completiuæ. calida enim, & ſicca igni velut qualitas corpori ſuperinditâ; vt autem igni, non hæc etiam ſuperuenire dicuntur, ſed huius magis complere ſubſtantiam.* Ponit autem Ammonius hãc doctrinam, vt communem doctrinam, ex qua accipiebatur, & has qualitates, & omninò differẽtias eſſe medias, inter ſubſtantiam, & accidens: De qua re ipſe diſputat, & nos etiam pro re noſtra dicemus; quemadmodum dabimus operam, vt alia omnia remota, appareant, quæ contra hanc doctrinam eſſe videntur. Nunc nihil aliud quærimus, quam opinionem iſtorum. Quòd conſiderent has qualitates, vt ſingulas:

Qualitates elementorum, modo dicuntur accidẽtia, modo differẽtiæ formatrices.

Ter dimenſum nondum habet corpus naturale ſubſtantiale.

Ammonius in Præd. Quãtitatis.

gulas: & sic in illo esse communi, quia nihil constituunt, dicant eas accidentia: vt postea tales simul collectas, differentias formatiuas, & substantias elementorum, patet ex Simplicio. quòd quidem forma sit in collectione illarum, secundo Physicorum com. 11: *Equidem forma non est differentia, sed comprahensio, collectioque differentiarum*. Quòd vt differentia accipiuntur; hoc est, quatenus singulæ, dicantur accidentia, in Prædicamentis, cap. de substantia: *Propter quod dubitantes, quomodo ignem aqua, & terra aerem contraria dicat Aristoteles, facilè est dicere, quòd secundum differentias, & qualitates sunt contraria*. Et in primo de Cœlo, com. 36: *Contraria enim, secundum quòd contraria, accidentia sunt. differentiæ enim sunt; differentiæ autem qualitates, & accidentia*. Dicuntur autem vt sic, accidentia; quia nihil constituunt, nec corpus, vt corpus, nec corpus, vt tale corpus. Neque enim ignis constituitur caliditate, vt caliditate, sed vt tali. Quare etiam dicunt formam ignis, non habere contrarium; quia caliditas ignis summa est, cum summa siccitate, cum summa leuitate, quæ afferunt summam materiæ disgregationem, & claritatem summam. Frigiditas verò aquæ, non habet summam humiditatem, non summam grauitatem, nō summam materiæ condensationem, quare nō extremè caliditati ignis est opposita: Non itaque simpliciter contraria. Vnde semper dicunt formam elementi non habere contrarium, nisi secundum qualitates. Simplicius etiam 2. Physic. comm. 11. *Item contraria sunt qualitates, forma verò est substantia*. In Prędicamento substantiæ: *Sed neque alia species speciei est contraria, sed contrarietates omnes circa differentias, & qualitates considerantur*. Quòd etiam considerent illas vt passionem inferentes, vel vt ortas patiente materia, & vocent eas passiones, & considerent easdem, secundum posse agere, & vocent illas virtutes, & facultates, & potentias, patet com. vlt. tertij de Cœlo; ad mentem etiam Alexandri, vbi easdem qualitates elementorum posse vocari, & virtutes, & passiones, ita scribitur: *Secundum autem aliam adiectionem idem virtus, &*

Qualitatés alia etiā ratione dicuntur accidentia. Simplicius. 2. Physicor. com. 11.

Idem in Prędic. substantiæ.

Idem 1 de Cęlo, com. 36.

Forma ignis non habet cōtrarium.

Simplicius. 2. Physicor. com. 11. Idem in Prædic. subst.

Qualitates elementorum dicuntur passiones.

Simplicius 3. de Cęlo, commen. vlt.

passio

Qualitates elemētorum potentia, & virtutes.

passio est. Ab eo quidem, quod est passionem efficere, aut patiente materia fieri, passio. Virtus autem ab eo, quod est posse. Et fortè (ait Simplicius) *sic est magis suscipiendum*. Quibus ita se habentibus, non est difficile accipere sensum verborum ex Græcis allatorum nihil repugnantem huic sententiæ, quòd his qualitatibus elementa informentur, quamuis, adeò variè de illis loqui, videantur. Primò quidem, quod omnes dicunt; non esse contrarietatem in simplicibus, secundum formas, sed secundum qualitates, iam supra est declaratum; quia toti coniunctioni, in qua consistit forma, non est contraria alia coniunctio. De Ammonio verò ita dicitur; quòd rectè ab ipso aliquando substantię esse ponuntur, aliquando accidentia: Substantiæ in elementis: Accidentia inter dimēso: dicunturque non suscipere magis, & minus, prout elementa constituunt in esse proprio. Etenim vnicuique esse est determinatum: Dicuntur postea suscipere magis, & minus duplici consideratione. Vna est, quatenus accidunt ter dimenso, ad cuius essentiam, cum nihil faciant, nihil facit ad illud, quali gradu sint, aut non sint. Alia est, quatenus singulæ considerantur, vt qualitates, non vt tales elementorum constitutiuæ; vt qualitates enim non habent gradum determinatum; vt tales verò elementorum constitutiuæ habent. Hoc nunc sufficit, alia postea, quæ ad idem attinent suo loco habebuntur. Themistius, (si est Themistius, qui fecit Paraphrasim librorum de Cœlo) in primo quidem cap. primi dicit, has qualitates affectiones corporis, pro ut corpus est. In fine etiam tertij dicit, has qualitates singulas per se acceptas affectiones elementorum, veluti ignis, & aliorum, prout corpora sunt: nam ex his nō constituuntur in esse corporis, pro ut corpus, sed in esse talis corporis, prout est tale corpus. Hoc verò dico de Themistio, vt, si quid tale in alijs inuenitur, idipsum illis accomodetur. Themistiū enim in illo opere, pro Themistio non satis recipio, nec fortè pro Gręco, saltem prioris Scholæ: sed hæc non sunt huius considerationis. Dexippus, (de quo etiam non multum sollicitor) potest considerasse

Declaratur, quō sit accipiē dum Gręcorū dictum, q̄ elemēta nō sunt contraria secū dum formas, sed secūdum qualitates.

Qualitates elementorū suscipiunt & nō suscipiūt magis, & minus.

Themistius. 1. de Cęlo c. 1. & in fi. tertij.

Dexippi dictum exponitur.

ſideraſſe formam ignis in collectione qualitatum, & hoc pacto dixiſſe, illam non admittere magis, & minus: poteſtque dixiſſe caliditatem, qualitatem inhęrentem formæ, tanquam primam differentiam, in qua eſt conſtitutio talis formæ, & primum eſſe ipſius; vt rationalitas, eſt differentia conſtituẽs animam in eſſe rationali. Tales qualitates (ait ipſe) admittere magis, & minus, quod Porphirius negat, qui dicit differentias per ſe non ſuſcipere magis, & minus. Quod nunc nón eſt conſiderandum: Infra dilucidabitur. Dictum Alexandri, quod eſt apud Auer. 5. Phyſicor. iam eſt clarum; quo modo ſcilicet dicatur, elementa non eſſe contraria, ſecundũ formas, ſed ſecundum qualitates. non enim ſunt contraria ſecundum totam collectionem, in qua conſiſtit forma, ſed ſecundum aliquas illius collectionis qualitates. Quantum verò ad locum ipſius Alexandri adductum ex 4. Quæſtionum, cap. 4. Alexander eſt in ea conſideratione, vt oſtendat malè dici: Diuitias non eſſe inſtrumenta; quia habeant paupertatem contrariam, inſtrumento autem nihil ſit contrarium. Rem huc reducit, vt oſtendat falſum eſſe, & quòd inſtrumento nihil ſit cõtrarium, & quòd diuitijs paupertas ſit contraria. Et cum verſatur in primo, inquit. Si negas, eſſe contrarium quid inſtrumento; quia toti inſtrumento nihil ſit cõtrarium, ſic neque igni, neque alteri ſubſtantiæ compoſitæ erit aliquid contrarium. Et reddit rationem; quia materiæ ſubiectæ, non eſt aliud contrarium. Verumtamen, (ſubdit) hoc non facit, quin igni ſit aliquid contrariũ, ſecundum paſſiones, & qualitates: quo quidem modo vbique loquitur. Immò addi poteſt; licèt etiam igni ſecũdum totam formam non ſit aliquid contrarium, non tamen hoc facit, quin igni abſolutè loquendo, ſit aliquid contrarium. Deinde rem applicat inſtrumentis, & oſtendit etiam ſecuri conuenire contrarietatem, ſecundum qualitates, per quas ei eſt eſſe. Ergo; tantũ abeſt, vt ex hoc loco habeatur aliquid contra qualitates, vt potius habeatur (dum comparantur qualitatibus ſecuris per quas, illi eſt eſſe, pro ut eſt ſecuris) eſſe ignis eodem

Alexandri dictum declaratur.

Aliud eiuſdẽ dictum dilucidatur.

An inſtrumẽto ſit aliquid contrarium.

dem

dem modo in iſtis qualitatibus conſtitui. Quare hic locus idem quod alij. Pro dicto Ioannis Grammatici explicando, accipiendum eſt; quòd actio, quę fit per has qualitates, aut eſt inter ipſa ſimplicia corpora, aut eſt; quatenus vnum miſtum agit, aut in ſe ipſum, aut in aliud. Dicamus primò de miſtis. Miſtum agens in ſe ipſum, eſt omne animatum: huius actio eſt à forma, quæ eſt ſupra temperamentum: ad eam obeundam ſunt illi hæ qualitates inſtrumenta. ſic Ariſtot. contra Empedoclem, ſecundo de Anima tex.41. qui tamen ignem, non inſtrumentum ſed cõcauſam dicit. Miſtum agens in aliud eſt infra animata: hoc ſimliter habet principium effectiuum ſuæ actionis, propriam formam, quę vtitur ad eam obeundam his qualitatibus: & ſic hæ qualitates dicuntur inſtrumenta; ad excludendum, quòd nõ ſunt prima agentia. Si verſemur in ſimplicibus inter ſe agentibus: hęc ſimiliter actio in ordine ad Cęlum eſt per has qualitates tanquam illi ad agendum ſubordinatas: & ſic ad Cœlum ſe habent, tanquam Cœli inſtrumenta; quatenus ſcilicet non ex illis eſt prima vis effectiua, de qua ibi erat ſermo, ſed alteri primo effectiuo ſubordinata. Et hoc eſt præcipuè, quod ibi conſiderat Ioannes, habita occaſione ex eo in quo Philoſophus Antiquos repræhendebat. Nihil autem facit ad rem, quam nunc tractamus. non enim dicit, illas eſſe inſtrumenta propriæ alicuius formæ antecedentis, quod clarè patet legenti ipſum in ea parte. De Simplicio poſtremò dicendum duxi, propter locos librorum de Anima. Negant igitur ali qui eum librum eſſe Simplicij, quod nos non diſputamus: Ad locos illos, ex iam dictis, ita dicimus. Com. quidem 106. ſecundi de Anima ait (ad aures ne Philoſophi; an non, nihil quærimus) corpus quatenus corpus non conſtitui his qualitatibus; quia (vt dictum eſt) dimenſione conſtituitur, atque ad hoc referri commune innominatum in tactu, quod eſt tã quam forma determinatrix eorum quæ fiunt: quandoquidem pro varietate molis in materia, quæ ſit aut diſgregata, aut congregata, fit diuerſum corpus ſenſibile. Quocirca eſt

Explicatur Io an. Gram. dictũ, quòd qualitates ſunt inſtrumentum.

Simplicij dicta declarantur.

moles

moles illa, quasi forma determinatrix eorum, quæ fiunt; elementorum scilicet, quę cùm habeant communem hanc molem, licèt sic diuersificatam, habent postea peculiares differentias; quibus constituantur in proprio esse qualitates tangibiles. Quæ, cùm sint multæ contrarietates, hac ratione in vnum reducuntur quòd in illa communi forma conueniunt, suntque proprietates illius vnius formæ, ex quarum assumptione illa communis corporea forma, veluti transformatur in particulares simplicium corporū formas; dum corpus vt corpus, euadit tale corpus, sic per illas differentias determinatum. Quòd verò dicitur, has qualitates esse per se sensibiles rectè dicitur. Quòd etiam dicit Simplicius, substantiam per accidens sentiri, nihil repugnat; nam accipit substantiam, prout dicit subiectum, non prout dicit differentiam substantialem. Quòd similiter dicit, alimentum non esse contrarium nutrito, vt forma formæ, rectè dicit; quia loquitur de alimento, quatenus est materia transmutanda ad formam nutriti: transmutatio verò ex parte materiæ, non est, nisi ratione contrarij priuatiui. De hac igitur sola cõtrarietate, meminit Simplicius, quia hæc est ad rem, quam intendit: & insuper potest sic fuisse loquutus, quia non est inter alimentum, & id quod alitur, contrarietas positiua extrema. Vnde dicit non esse contrarium nutrimentum nutrito, vt forma est contraria formę; quia formarum, quæ verè sint contrariæ, oportet esse extremam distantiam saltem ratione aliqua, in qua sunt contrariæ. Quod dicitur ex primo de Cœlo, erit explicatum cum erimus in illo argumento, in quo proponitur substantiam substantiæ non esse contrariam. In qua tractatus parte etiam aliorum, quæ ad contrarietatem in substantia pertinent, habebitur resolutio. Nunc tamen hoc dicatur, quod ponit Simplicius; contraria esse accidentia, quia in tota Idea accidentis est contrarietas: & dicit qualitates esse contrarias, accipiendo illas singulas, in quo statu nihil complent, nec corpus vt corpus, nec corpus vt elementum sensibile. Quod habetur 5. Phys.

Nutrimentū non est contrarium nutrito, vt forma formæ.

Contrarietas in accidentibus.

Locus 5. Phy fic.in Simplicio exponit.

ita est explicandum. Simplicius eo loco nihil aliud intendit, nisi ostendere, quomodo ignis non habeat contrarium, neque quantum ad formam, neque quantum ad se totum. Quòd non quantum ad formam, ostendit; quia forma est in omnibus qualitatibus coniunctis, & vt sic non habet contrarium. Quantum ad se totum etiam non habet; quia pręter coniunctionem qualitatum, habet aliam substantiam, qua constituitur, & est materia, cui nihil contrarium. Sic igitur dicit: Ignis Idea, idest natura, & essentia est posita non in vna qualitate, sed in omnibus coniunctis, & præter istas ex materia componitur. Quare secundum esse totum ignis, aut etiam secundum partem formalem, nihil illi est contrarium simpliciter.

CAP. QVARTVM.

Respondetur illis, qui reprahendunt hos Gracorum modos.

His propositis non est difficile videre, qualia sint ea, quæ à nonnullis contra Græcos afferuntur. Non placet primò illis hæc Græcorum distinctio, quã ita ipsi proponunt: Qualitates istas dupliciter posse considerari: primò, prout suscipiuntur in subiecto, & materia quanta, & sic sunt accidentia: secundò, vt complent naturam elementorum, atque ita sunt substãtiæ. In quibus dictis omnia manca, & imperfecta. Primò oportet dicere, cuius sunt substantiæ, & cuius sunt accidentia; quia non dicuntur substantiæ, & accidentia à Gręcis, nisi quatenus sint substantiales, & accidẽtales. quare, si totum proposuissent, nihil monstri, vt ipsi pręsumunt. Secundò adducunt hanc sententiam, tanquam sit Ammonij sententia, quæ tamen est communis omnium; immo & ab ipso, tanquam communis omnium proponitur. Tertiò quod subiungitur de mente Ammonij, quòd

Distinctio Græcorũ repręhenditur à nonnullis.

Distinctio Græcorũ declaratur.

Sentẽtia Ammonij malè accepta ab istis.

quòd dicat has qualitates esse mediæ conditionis, non potest ferri. cum Ammonius hæc, quæ proposuit, proposuerit vt aliorum; dissentiatque ab ipsis in hoc, quòd sit aliquid medium inter substantiam, & accidens; quia oporteret ponere vndecimum Prædicamentum: & ibi ex professo contra hoc disputat. Quomodo tamen id ab alijs verè dici potuerit, suo loco exponemus. Aduertendum nunc est; quantum ad dicta Ammonij, quòd Ammonius corrigit dictum illud: differentias esse medias inter substantias & accidens; quia oporteret facere vndecimum Prædicamẽtum, & contendit differentias esse substantias; quia sumit differentias vt specificas, & constitutiuas, quas tamen Phylosophus non retulerit sub Prædicamento substantiæ, quod hominum multitudini non sunt notę. Reprehendunt deinde Ammonium; quasi velit, variata consideratione, variare naturas. quod miror dici ab illis, qui in hoc ipso sunt potissimum, dum solent dicere: elementa dupliciter considerantur vel vt elementa, vel vt tales substantiæ. Si vt elementa, tunc qualitates sunt illorum formæ; Si vt tales substantiæ, non sunt qualitates illorum formæ, sed habent alias formas. Hic (ni fallor) res tota in consideratione consistit, quòd non est de dicto Ammonij. namsecundum duos respectus reales, non autem secundum duos respectus considerationis ipse hanc facit harum qualitatum diuersitatem. Primus respectus, quo dicuntur accidentia, est ad corpus, quatenus corpus; quia nihil sunt de illius essentia. Secundus respectus est ad tale corpus naturale, quod in esse constituunt. quod sanè totum reale est, non autem solùm considerationis: veluti diceremus, figura circularis non est de constitutione corporis simpliciter, quatenus est corpus, sed accidentaliter ad hoc se habet, quia potest esse corpus omnium figurarum. est autem de cõstitutione corporis, quatenus est corpus Cœleste, quia illi est essentialiter coniuncta. Ponunt autem hanc rationem qua ostendunt, hunc modum dicendi esse absurdum; quia substantia est ens absolutum, & non se-

Ammonius nõ dicit eo loco has qualitates esse medias.

Ammonius necessitatẽ 11. Prædicamenti proponit.

Differentiæ non sunt mediæ inter substantiam, & accidens ex Ammonio.

Prædicamẽta ex notis multitudini sunt facta.

Variata consideratione non variantur naturæ.

Distinctio nonnullorum circa elementa reprehenditur.

quens nostram considerationem, & qualis est vni, talis est omnibus: & quod absolutè est tale, semper est tale. An qui pugnantia alijs imponunt, paucissimis verbis secum ipsi pugnant? Si enim substantia est ens absolutum, quomodo dicitur, qualis vni, talis omnibus? Profectò quòd est tale alicui, ad aliquid quoquo pacto se habet. Sed præterea, cum qualitates ponuntur esse substantię, ponuntur tales substantiæ, quarum esse non est sic absolutum, vt ipsi putant; quia esse formæ materialis non est simpliciter absolutum. Sic dicebat Phylosophus tex. 26. 2. Physic. quòd materia, & forma sunt ad aliquid. Sic partes vt partes non habent esse absolutum; formæ autem materiales, nō sunt nisi partes compositi: & nunc ille respectus accipitur, qui inducitur pro inesse alteri. qui quidem respectus à formis materialibus non potest remoueri, & secundum quem respectum variatur esse. Si enim insint aliquę sic, vt constituant, sunt de substantia illius, cui insunt. Si ita, vt non constituant, sunt ei accidentia: in quo sensu Ammonius loquitur. Insunt ergo hæ qualitates corpori, vt corpus, tanquàm non constituentes illud inesse, quia corpus habet esse corpus ab alio. Insunt tali corpori, vt igni, tanquam illud cōstituentes. quare sunt de illius substantia: sic omnis forma materialis inest materiæ, tanquam non constituens eius substantiam, quare dicitur accidere materiæ; inest composito tanquam pars illius constitutiua, quare eius dicitur substantia. Vtrum autem omnes qualitates materiales sint tales, vt possint inhærere, & accidentaliter, & essentialiter, an aliquæ tantum: & cur, dicemus suo tempore. Aiunt etiam malè dici, differentias, & accidentia: quasi cum differentiæ sunt, accidentia sint. Reddunt rationem, quia licet differentiæ prædicentur in quale, tamen illud est quale essentiale. Et dicit Arist. 7. Metaphysico: tex. 43. differentiam postremam esse id totum, quod res est, accidens verò non est esse substantiæ. Sed Græci, cum dicunt, has qualitates differentias, & accidentia: vocabulum differentiæ accipiunt, prout differentia di-

Reprehendēs incidit in laqueos, quos posuit repræhenso.

Qualitates elementorum, cum dicuntur substātię, quales substantiæ dicantur.

Materia, & forma sunt ad aliquid.

Inesse duobus modis accipitur.

Qualitates primæ quomodo insunt corpori, quomodo elementis.

Forma materialis, quomodo inest materiæ, & composito.

Qualitates dicuntur differentiæ rectà ratione.

citur

citur id, quod facit solùm differre: & qualitatẽ dicunt, quicquid denominat, & facit quale: & accidens, quicquid non constituit. Non ignorãt autem ipsi, differentias esse substantias; immo Ammonius pugnat contra illos, qui dicunt differentias esse medias, & contendit, quòd sunt substantiæ, & Simplicius 2. Physic. com. 11. habet: *Et quatenus differentiæ sunt substantiæ, est etiam contrarietas in ipsis.* Volunt igitur Græci dicere, quòd sic acceptæ habent solùm officium differentiæ, non autem differentiæ formantis, & constitutiuæ; quia non formant, quomodocunque se habentes, sed sub determinata conditione. Nemo autem nescit repugnare esse accidentia, & substantiam complere; sed hæ qualitates, cum substantiam constituunt, non sunt eædem omni ratione sibi ipsis, cum accidẽtia sunt, & nequaquam sunt eo tempore accidentia. insunt enim substantialiter, & substantiam complent; haud quidem complent substantiam corporis vt corpus est, sed semper illi accidentaliter insunt; complent autem essentias elementorum, quia illis substantialiter insunt, vt supra etiam diximus. Sic (velut etiam diximus) forma quælibet corruptibilis materialis non complet esse materiæ, cui inest, quia inest ei accidentaliter; complet essentiam compositi; quia inest illi substantialiter. Mirum esset, si aliquid inhærens alicui accidentaliter, substantiam illius compleret. sic enim ex non substantia fieret substantia; sed, quòd aliquid inhęrens alicui substantialiter, compleat illius substantiam, est necessarium. Hæc autem infra latius, cùm de eo dicto, quod vni est substantia alteri non est accidens, sermo habebitur. Quęrunt; caliditas, vt caliditas, estne substantia, an accidens? Respondetur, quòd caliditas importat inhęrentiam alteri, & tunc dicitur, quòd, vel inhęret accidentaliter, & est accidens, vel inhęret substantialiter, & est substantia, prout partes substantiarum essentiales dicimus substantias: & sic non dicunt Græci aliquid esse accidens, & substantiam complere, sed quòd substantiam complet esse substantiale: nec loquuntur contra dictum Phylosophi,

Ammonius vult differentias esse substãtias, & idẽ vult Simplicius 2. Physi. com. 11.

Qualitates quo pacto differentiæ appellentur.

Forma materialis sublunaris accidẽtaliter materiæ inest.

An quales sũt differentiæ, tale sit constitutũ ex illis.

sophi, quòd ex non substantijs sit substantia. Dicunt, quòd dicere differentias esse contrarias, & suscipere magis, & minus, non autem substantiam, est pugnãtia dicere; quia quales sunt differentiæ, tale est constitutũ. quod quidem, quantum ad esse rei, esto verum; esse enim est à forma, sed quantum ad totam substantiam, & ad omnes substantiales conditiones, non est verum. De his autem, & de eo quod dicunt, ex Porphirio est dicendum, quando erimus in illa propositione: substantia non suscipit magis, & minus. Non negant igitur Græci, quòd si in differentijs substantialibus est contrarietas, & magis & minus, sit etiam contrarietas, & magis & minus in substantia; sed dicunt non esse ideo ponendum toti substantię inesse contrarietatem, quam neque volunt propter hoc penitus in forma reperiri, vt supra est dictum. Alia insuper proponunt, in quibus hic non est immorandum. In explicatione habenda eorum, quę ad hęc attinent pro resoluendis contrarijs argumentis omnia erunt explicata. Vnum equidem nõ percipio; quomodo, si actiones sint accidentia, etiam formę agentes debeant esse accidentia. Videre, profecto puto ego, esse accidens, quia adest, & abest, pręter animę corruptionem; animam autem videntem esse substantiam, quod putaui esse in omnibus materialibus agentibus. actionem enim esse substantiam in solis abstractis: & substantiam animaduerti, dici causam accidentis. quare à substantia accidens prouenire mihi non erat absurdum, nisi dicant substantiam non agere immediatè, sed semper mediante ali quo accidente, quod simul cum alijs suo loco considerabitur.

Contrarietas, & magis, & minus sunt in substantia, & quomodo.

Actio accidẽs, forma agens substantia.

C 4

CAPVT QVINTVM.

Auerrois opinio ponitur.

QVAE Græcis inuolutio, & incertitudo adſcribitur, ea verè in Auerroe eſſe videtur. Adducam ego illius dicta, erit ſuum cuique iudicium. Formas elementorum non eſſe contrarias, nec eſſe quatuor qualitates, mordicus contendit contra Alexandrum 5. Phyſic. com. 10: *Et opinandum eſt, quòd ſubſtantiæ ſimplices ſunt contrariæ ſecundum ſuas qualitates, & propriæ qualitates in eis non ſunt ſubſtantiæ; etſi aſſimilantur ſubſtantijs, quoniam impoſſibile eſt, vt aliquid in aliquo ſit de vno Prædicamento, & in alio de alio, ita vt calor in homine ſit de Qualitate, in igne de Subſtantia.* Nihil clarius quàm, quòd formæ elementorum non ſunt contrariæ, & quòd non ſunt qualitates, cum qualitates ſint accidentia. 8. Metaphyſic. com. 5. idem habet quantum ad qualitates; quod non ſint ſubſtantiæ, ait: *Sed ex hoc ſequitur, quòd aliquid ſit in ſe qualitas, & in reſpectu alterius ſit ſubſtantia.* Hoc quidem habet pro maximo inconuenienti: iuxta quod Iandunus quæſt. 4. 5. Phyſic. dicebat hanc eſſe propoſitionem immediatam. Nulla qualitas eſt ſubſtantia, adeoque putabat hoc eſſe clarum, vt non credat, Alexandrum id ignoraſſe: & certè non ignorauit; ſed fuit Iandunus qui ignorauit intellectum propoſitionis, quæ verificatur, accepta ſubſtantia, prout accipitur in Prædicamento. ſic enim qualitas eſt Prædicamentum ab ea diſtinctum, accepta etiam qualitate, prout conſtituit Prædicamentum quod quidem conſtituit, vt dicetur in tertia ſectione. Quòd ſi accipiamus qualitatem, vt accipit Metaphyſicus, & ſubſtantiam prout comprehendit etiam ſubſtantialia, tunc propoſitio non ſolùm non eſt immediata, ſed eſt falſa. Dicunt Græci qualitates (& rectè) elementares eſſe in Prædicamento qualitatis ſecundum profunditatem; in Prædicamento verò ſubſtantiæ ſecundum

Auerr. 5. Phyſic. com. 10. Alexandrum oppugnat.

Idem 8. Metaphyſ. com. 5.

Nulla qualitas eſt ſubſtantia, eſt propoſitio immediata ex Ianduni ſententia.

cundum latitudinem per modum ſcilicet differentiarum, & principiorum conſtituentium. Hoc autem quod hactenus habemus; nempe formas elementorum non eſſe contrarias, neque eſſe has qualitates, ſed iſtas eſſe accidentia, eſt id, quod de Auerroe quaſi communiter tenetur. plurimi enim Latinorum eum ad ſuam ſententiam trahunt; ſed quæ in his dictis apud eundem ſint inuolutiones, ex ſequentibus quis accipiet. Tertio de Cœlo com. 77. incipit concedere quòd formæ elementorum recipiant magis, & minus ratione ſuæ imperfectionis: *Si igitur aliquis dixerit, quod ſequitur ex hoc, vt formæ eorum ſubſtantiales recipiant magis, & minus, & hæc eſt diſpoſitio accidentium, non formarum ſubſtantialium, dictum enim eſt in multis locis, quòd formæ ſubſtantiales non recipiunt magis, & minus. Dicemus, quòd formæ iſtorum elementorum ſubſtantiales, ſunt diminutæ à formis ſubſtantialibus perfectis, & quaſi ſuum eſſe eſt medium inter formas, & accidentia, & ideo non fuit impoſſibile, vt formæ eorum ſubſtantiales admiſcerentur; & proueniret ex earum collectione alia forma: ſicut cum albedo, & nigredo miſcentur, ſiunt ex eis multi colores.*

Auerr. 3. de Cœlo, com. 77. concedit formas elementorum recipere magis, & minus.

Hic habemus expreſsè: Vnum, quòd miſcentur, & intenduntur, ac remittuntur: Aliud, quòd ſunt mediæ inter ſubſtantiam, & accidens: Tertium conſequitur; quia, ſi miſcentur per intenſionem, & remiſſionem, ergo ſunt contrariæ. non enim magis, & minus huius naturæ eſſe poteſt, vbi non eſt contrarium, conſentiente Auerroe ipſo. 5. Phyſic. com. 19. Perſiſtit autem in hoc, quod qualitates ſint accidentia; non tamen ſic ſemper, vt habebitur infra. Libro de Subſtantia Orbis cap. 1. expreſsè habet, quòd ſunt contrariæ: *Vnde neceſſe eſt, has eſſe contrarias, adeo quod contraria corrumpat ſuam contrariam, & ſubiectum recipiat formam ſimilem. Vnde formæ elementorum ſunt contrariæ.* Subiungit loquens de Cœli natura: *Si aliqua corpora ſimplicia ſunt, quorum forma caret contrarijs, contingit, quòd illæ formæ ſint, nec generabiles, nec corruptibiles, nec habentes ſubiectum commune.* Et ſequens diſputationem: *Declaratum eſt igitur, quòd cauſa corru-*

Idem conſentit illas eſſe medias inter ſubſtantiam, & accidens.

Magis & minus non eſt, vbi non eſt contrarium.

Auer. de Subſtantia Orbis cap. 1.

Formæ elementorũ ſunt contrariæ apud Auerr.

Forma carens contrario eſt ingenerabilis & incorruptibilis apud Auerr.

corruptionis entium, & factionis eorum est contrarietas existens in suis formis, & commune subiectum, quòd nullam habet propriam formam. Quocirca clarè habetur, corporum simplicium, quæ sunt elementa, ad differentiam corporis cœlestis, formas esse contrarias. Idem habet vniuersaliter 1. Physico. com. 52: *Et similiter nihil prohibet vt substantiæ sint contrariæ secundum formas, non contrariæ secundum subiectum.* In Paraphrasi primi de Cœlo declarans, quomodo sequatur ex motu carente contrarietate, Cœli naturam carere similiter contrarietate scribit: *Attribuitur enim corporibus contrarietas ratione formæ ipsorum; quæ, cum principium sit motus, contrariorum contrarios motus esse oportet.* Certum est, quòd loquitur de forma substantiali; quia loquitur de forma, quæ est principium in simplicibus contrarij motus, ergo contrariæ formę substantiales. Ex his itaque habemus, quòd dicat formas elementorum esse contrarias. Quòd autem dicat eas esse qualitates 2. Physic. com. 15. vbi quærit. Vtrum cũ priuatione substantiali coniungatur contrarium, explicat, quid velit dicere: *Vtrum cum priuatione in generatione simplici inueniatur coniunctum aliquod contrarium, ita quòd hoc nomen forma etiam dicitur de illo contrario.* Loquitur certè de forma substantiali, quia loquitur de forma, quę est natura, & subiungit: *Illa enim* (in libro de Generatione) *declarabitur, quòd priuatio, quæ est in prima materia non denudatur à primis contrarijs, quæ sunt quatuor qualitates, & quòd ista sunt prima omnium, quæ generantur, & corrumpuntur.* Ergo formæ substantiales contrariæ; quia priuatio in materia non denudatur à contrario, vt ibi dicitur, & priuatio semper dicit aliquem habitum, vt dicit idem Auerr. 3. Metaphysic. com. 17. quare priuatio substãtialis dicit habitum substantialem, ergo formæ substantiales, in elementis præsertim, sunt contrariæ. Et simul patet ex eius dictis, quòd hæ formæ in elementis sunt quatuor qualitates dictę. In Paraphrasi 2. de Generatione in principio: *Corpora verò simplicia, materia proxima eorum, est materia prima, vt declaratum*

Ex Auerr. 1. Phys. com. 52. substantię sunt contrarię secundum formas.

Et cõtrarietas attribuit corporibus ratione formæ ex eodem in Paraphrasi 1. de Cœlo.

Formæ verò elementorum sunt quatuor qualitates ex eodem 2. Physico. com. 15.

Priuatio substantialis dicit habitum substantialẽ.

Formæ elementorũ sunt prima opposita, quæ sunt qualitates.

Ex Auerr. in Paraphrasi 2. de Generat.

E *est,*

est, forma autem eorum sunt prima opposita, quæ sunt in eis, scilicet graue, leue, calidum, frigidum, humidum, siccum. Quòd autem hæ qualitates sint formæ expresse infra: *Dicamus igitur, quòd necesse, vt istæ sint formæ corporum primorum, ex quibus sunt omnes species corruptibilium in omnibus corporibus.* Et ibi, cùm loquitur de numero elementorum: *Declaratum est igitur, quòd corpora simplicia, quæ sunt illæ virtutes, sunt formæ eorum.* Et ibidem succedens: *Sequitur ex hoc, quòd istæ quatuor sint formæ elementorum, & tot sint.* Cap. 1. de Substantia Orbis, licet videatur nescio quis modus loquendi: *Videtur enim, quòd forma caliditatis agente in aquam, tunc subiectum eius denudatur à forma aquæ; similiter facit cõtrarium forma frigiditatis.* In Paraphrasi primi de Cœlo: *Præsertim in qualitatibus quatuor, caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate; quæ generationis, & corruptionis causæ sunt.* Ergo substantiæ. Noui quid Zimara; & alij de qua re suo loco. In Paraphrasi 3. de Cœlo summa 8. cap. 2. in fine: *Ex hoc itaque sermone reuincitur, elementorum differentias non esse ratione figuræ, nec hæc ipsa figurã sibi prorsus vindicare propriam; sed illorum differentias* (loquitur de substantialibus, quia qui figuras dicunt eas ponunt essentiales) *ex proprijs quidẽ sunt passionibus, vt humiditas, & siccitas, caliditas, & frigiditas: & per eorum actiones, sicut calefactio, combustio, frigidatio, humectatio: & per essentiales eorum potentias, quæ sunt grauitas, & leuitas.* 2. de Cœlo in Paraphrasi, summa 4. cap. 6. de grauitate, & leuitate particulariter: *Causa igitur motus terræ ad medium, & eius in eo quietis per naturam, est forma eius naturalis, videlicet grauitas; quemadmodum causa motus ignis sursum, & eius quietis in concauo nihil aliud est, quàm substantialis eius forma, quæ quidem est ipsa leuitas.* Quarto de Cęlo com. 1. *Et fuit manifestum, quòd formæ eorum sunt grauitas, & leuitas.* Infra de ijsdem: *Cum ipsas esse formas horum corporum sit manifestum per se.* Ita varius est Auerr. Nec desunt sanè alij loci; sed: Ne quid nimis. In hoc nihil constantis: Formas primo non esse contrarias, deinde esse: Qualitates esse

Quatuor qualitates sũt formæ primorũ corporum.

Idem Auerr. de substantia Orbis cap. 1.

Idem in Paraphrasi 1. de Cœlo.

Quatuor qualitates sũt causæ generationis, & corruptionis.

Idem in Paraphrasi 3. de Cœlo.

Grauitas, & leuitas sunt essentiales potentiæ elemẽtorum secundum Auerr.

Idem in Paraphrasi 2. de Cœlo.

Idem 4. de Cęlo com. 1.

Auerr. varius.

esse accidentia, deinde formas: Inter has, modò omnes, modò primas, modò grauitatem, & leuitatem: Modò formas elementorum vocat simpliciter substantias: Modo medias inter substantiam, & accidens. Labor ingens Sectatoribus. Non est autem prętermittendum quod habet Leui Gherſonides, qui profitetur se Auerrois esse explanatorem, in principio introductionis. Iste quidem in Logicis annotationibus in eundem Auerr. in Prædicamentis cap. de Substantia; cùm explicaret illam proprietatem, quòd substantia non habet contrarium, hæc scribit: *Quidam autem perceperunt hoc dubium, ob quod coacti fuerunt dicere elementa habere alias formas; præter caliditatem, frigiditatem, & siccitatem, quæ sunt inter se contrariæ; sed illas formas non dicunt esse contrarias inter se.* Et subiungit: *Et nos iam declarauimus in nostris expositionibus in libros Philosophiæ Aristotelis falsitatem huius positionis.* Et in explicatione proprietatis, quòd substantia non suscipit magis, & minus, ait: *Nam licet aliquis ignis sit calidior aliquo alio igne, & sic de qualitatibus reliquorum elementorum, quæ sunt formæ eorum.* Et subiungit: *Quoniam ille calor, quo ignis est ignis, habet aliquam latitudinem, & quicquid reperitur in illa latitudine, est quidem ignis eodem tenore.* Ex his, præter viri auctoritatem propriam, mihi significatur, Auerroem ab hac sententia non abhorruisse; cum hic sit ei addictus, qui hæc dicit; & nominet alios oppositæ sententiæ, Auerroem minimè. Conciliatores Auerrois hic ingenium exercent. Iandunus q. 4. 5. Physic. ait, formas elementorum esse contrarias, accipi posse duobus modis, aut verè, & propriè, secundum perfectum esse contrarietatis: & hoc est quod negat Auer. aut secundum esse aliquod imperfectum: & sic dicitur ab Auerroe, quòd sunt contrariæ. Perfectum esse contrarietatis secundum Iandunum consistit in hoc, vt quæ debent esse contraria contrarietate perfecta, habeant subiectum propriè vnum & idem, & vt sint immediatè actiua, quorum vtroque carent secũdum ipsum formæ elementorum. Non habent quidem subiectum propriè vnum, &

Leui Gherſonides Auerr. explanator.

Elementa nõ habere alias formas præter qualitates inter se contrarias.

Calor quo ignis ẽ ignis, habet aliquã latitudinem.

Cõciliatores Auerrois defatigantur.

Formę elemẽtorũ sunt contrarię duobus modis.

Perfectũ esse contrarietatis secundũ Iandunũ in quo consistat.

idem, quia alia est materia ignis, alia aquæ, quantum ad modum essendi; vt dicitur primo de Generatione tex. 22. Non sunt etiam immediatè actiuæ, quia non agunt, nisi præcedentibus actionibus suarum qualitatum, quare non sunt ita verè contrariæ, vt primæ qualitates tangibiles. Quòd autem nullo modo sint contrariæ non potest dici; maximè ab illis, qui dicunt eas commisceri ad inuicem refractas, & remissas; vt dicit Auerr. com. illo. 67. 3. de Cœlo. Et ait Iandunus, se non habere demonstrationem, quòd formę non sint contrariæ. Ad rationem verò Aristotelis assumentis 5. Physic. tex. 10. in substantia non esse contrarium, ait, illam esse famosam solùm, non demonstratiuã. cuius signum adducit; quia non est vniuersaliter verum, quòd motus nullo modo sit ad id, quod non habet contrarium; quia motus circularis est verissime motus, & tamen non est ad contrarium. Suessanus in suis commentationibus super libro Destructionum pro omnimoda conciliatione sic distinguit. elementa dupliciter accipiuntur: vno modo Physicè, alio modo Metaphysicè. Si Physicè accipiãtur, possunt cõsiderari duobus modis, vno modo in se, alio modo quantum ad nos; prout scilicet sunt corpora sensibilia, & à nobis cognoscuntur. Si considerentur hoc secundo modo, qualitates sunt eorum quidditates; quia per has elementa sunt corpora sensibilia. Si considerentur primo modo, triplex adhuc potest de illis esse consideratio. Vel enim considerantur quantum ad esse quidditatiuum, & sic qualitates non sunt illorum essentiæ: Et hoc est quod dixit Auerr. 5. Physic. com. 10. Vel considerantur quantum ad esse naturale: & sic qualitates sunt principia essendi ipsis elementis. & hoc est, quod dicit Auerr. in libro Destructionum. Vel tandem consideratur quantum ad esse operatiuum: & sic qualitates sunt naturæ, & formæ naturales elementorum. quod Aristoteles dixit in libris de Generatione, & Auerr. etiam dixerit, quando ponit formas elementorum graue, & leue. Si autem considerentur secundum esse Metaphysicum, tunc qualitates nihil sunt

Non habet Iandunus demõstrationẽ, quòd formæ non sint contrariæ.

Ratio Arist. 5. Physic. est famosa, non demonstratiua secundùm Iandunum.

Suessani distinctio.

Quomodo secundũ Suessanũ qualitates sint quidditates elemẽtorum.

Et quomodo qualitates nõ sint essentiæ elementorũ.

Quomodo qualitates sint principia essẽdi ipsis elemẽtis.

Quomodo eædem sint naturæ, & formæ.

Auer. quomodo dicat graue, & leue formas elementorum.

ſunt eſſentialc, ſola forma eſt quidditas; deferens quidditatem eſt materia. Quibus quidem dictis ſimilia dicta habet Zimara Contradictione 2.4. de Cœlo, vbi ſcribit, quòd elementa dupliciter poſſunt conſiderari; vel vt tales ſubſtantiæ, vel vt ſunt corpora actiua, & paſſiua. Si conſiderentur vt ſunt tales ſubſtantiæ, tunc non habent qualitates pro formis; licet ipſæ formæ, cum ſint formæ imperfectiſſimæ, dici debeant cauſatæ à qualitatibus, vt eſt apud Auerr. com.40. 4.de Cœlo, (quod tamen Achillinus aliter exponit, ac facit Zimara.) Maximè autem hoc dicere oportet, quòd formæ elementorum ſint cauſatę ab ipſis qualitatibus, ob ſuum eſſe diminutum, vt ibidem dicitur ab Auerr. ſi volumus benè eſſe à Philoſopho definitum numerum quaternarium elementorum. ſunt verò cauſatę ab his qualitatibus diſpoſitiuè, & in genere cauſæ materialis; quia diſpoſitio reducitur ad cauſam materialem. Si verò conſiderentur elementa vt ſunt actiua, & paſſiua inuicem: ſic ſunt cauſata à ſuis qualitatibus; etiam in genere cauſę formalis: & qualitates ſunt formę ipſorum, pro quanto à forma prouenit actio, & motus 3. Phyſic. tex. 17. & ad hęc reducit dictum 4. Meteor. quòd ipſę qualitates ſunt virtutes elementorum, per quas elementa ſunt elementa, & idem voluiſſe Philoſophum 2. de Generatione: & fortè etiam hoc voluiſſe Alex. vt damnetur ab Auerr. ſolùm in verbis. Reſumit autem inſuper diſtinctionem hoc pacto. Duplex poteſt eſſe elementorum conſideratio. Vna eſt, qua conſiderantur, vt ſubſtantiæ ſimpliciter, ac ſi dicat Metaphyſicè: & tunc qualitates nullo modo ſunt illorum cauſę in aliquo genere cauſæ. Et ſic arguit Auerr. communiter cõtra Alex. 5. Phyſic. com. 10. & 8. Metaphyſic. com. 5. quòd qualitates elementorum non ſunt formę elementorum. Alia eſt conſideratio naturalis elementorum, quæ eſt infra conſiderationem Metaphyſicam, coarctata ad principia ſenſibilia, & tunc multipliciter conſiderantur, vel prout ſubſtantiæ compoſitę ex materia, & forma: & hęc conſideratio habetur in libris Phyſicorum, vt poteſt colligi

Zimara, quid dicat de Auer. ſententia.

Qualitates nõ sũt formę elementorum.

Formę elemẽtorum dicuntur cauſatæ à qualitatibus.

Formæ ſunt cauſatæ à qualitatib. diſpoſitiuè.

Diſpoſitio reducitur ad cauſam materialem.

Formæ ſunt cauſatæ à qualitatibus in genere cauſę formalis.

Alexander ab Auerr. damnatur ſolũ in verbis.

Conſideratio elementorũ in libris Phyſicorum, qualis ſit.

colligi ex Commentatore 3. de Cęlo com. 31. vel vt sunt partes Mundi: & sic in libris de Cœlo, vel vt causæ compositorum: & sic in libris de Generatione vt Auer. 3. de Cęlo com. 1. & vltimo. Et naturalis ignorans vltimas differentias circũloquitur formas. Secundo modo per graue, & leue, quod accipitur ex Auer. com. 26. 4. de Cœlo. Tertio modo per calidum, frigidum, humidum, & siccum. In libris etiam Meteor: eodem modo, sub ratione tamen magis speciali. Idem Zimara contradictione 2. 7. Physic. de grauitate, & leuitate disputans, ait; differentias vltimas corporum simplicium esse nobis ignotas, & hoc colligi ex sententia Philosophi 8. Physic. tex. 32. vbi habet, quòd essentia grauis est collocari inferius, essentia leuis collocari superius. cum tamen tex. 28. dixisset moueri sursum, & deorsum esse actiones grauium, & leuium naturales, non autem essentias. Ait Zimara, hoc non fuisse dicturum Arist. nisi esset verum, quòd ipsi diximus; differentias vltimas corporum simplicium esse incognitas, & Philosophum illas circumloqui per suas proprietates. quod etiam ait esse de intentione Auerr. 8. Metaphysic. com. 5. & 7. Metaphysic. com. 41. Dicit igitur Zimara, quòd Auerr. cum dicit graue, & leue esse formas elementorum, loquitur circumloquutiuè. Et ad dictum 2. de Anima com. 108. quòd grauitas, & leuitas sunt substantiæ, respondet contradictione 3. eiusdem 7. & dicit, quòd sunt substantiæ, imitatione, & similitudine; quantum scilicet ad modum immutandi sensum. nam sicut substantia non immutat sensum, nisi mediantibus accidentibus, sic grauitas, & leuitas non immutant sensum, nisi mediante motu, & sic assimilantur substantiæ. Vnde non sunt substantiæ, sed sicut substantiæ. Est Achillinus 3. de elementis dubio 4. qui rem disputat ex professo. Et ad id, quod dicitur; elementa constitui per qualitates, dicit: dicuntur per illas constitui, tanquam per differentias circumlocutiuas. Ad id, quod dicitur; qualitates esse principia elementorum, dicit, quòd sunt principia non intrinseca, sed extrinseca; quia sunt principia illorum

Naturalis ignorans vltimas differentias circumloquitur formas elemẽtorum, modo per graue, & leue, modo per alias qualitates.

Differẽtię vltimæ corporũ simplicium, sunt nobis ignotæ.

Grauitas, & leuitas sunt substantiæ.

Achillinus.

Elemẽta constituũtur per qualitates.

Qualitates sunt principia elemẽtorum.

illorum effectiua, aut conseruando, aut producendo; instrumentaliter tamen, quod videtur velle accipere ex com. 40. 4. de Cœlo, & ex com. 67. 3. de Cœlo. Quod enim dicitur, qualitates esse causas elementorum, ita exponit; causas scilicet effectiuas instrumentaliter, vt dixit. Alij aliqui partim ex Zimara, partim ex Achillino accipientes leuius, & vt vocant, facilius, idem proponunt alijs verbis, dicentes, quod hæc corpora, vel considerantur, vt simplicia corpora: & sic habent formas suas, vel vt elementa in ordine ad mixtum: & sic dicuntur qualitatibus formari. Hoc verò dici ad Auerrois mentem, quod scilicet hæ qualitates sint formæ eorum corporum, prout elementa sunt, possunt habere ex 1. cap. 2. de Generatione, vbi habet Auerr. *Sunt formæ elementorum, vt sunt elementa*. Cùm dicit Auerr. formas cõtrarias: Aiunt aliqui, eum loqui ad mentem Alexandri, vt Zimara contradictione super tex. 52. 1. Physicor. Aiunt alij eum loqui de contrarietate priuatiua; Alij de contrarietate virtuali, vel dicere contrarias formas elementorum ratione qualitatum, quæ formas consequuntur, & sic de formis elementorum fuisse locutum; quia veræ formæ sint incognitæ. Cùm etiam dicit Auerroes; formas elementorum esse medias inter substantiam, & accidens, aiunt ex 4. de Cœlo com. 26. medium esse duplex, secundum comparationem, & secundum compositionem ex extremis: primo modo aer, & aqua media sunt inter ignem & terram quantum ad grauitatem & leuitatem; quia aer comparatus igni est grauis, comparatus terræ est leuis: aqua comparata terræ est leuis, comparata igni est grauis. Secundo modo colores, vt viridis, & flauus, dicuntur esse medij; quia ex extremis coloribus componuntur, albo scilicet, & nigro quoquo modo per illorum participationem. Dicunt itaque formas elementares dici medias secundum comparationem, non secundum compositionem; quia in aliquo sunt similes substantijs, in alio accidentibus. Ista autem omnia quantum ad id, quod ad Aristotelem pertinet in præsenti proposito, quid valeant

Qualitates esse causas elementorũ, quo modo exponat ab Achillino.

Corpora simplicia dupliciter considerantur; vel vt talia corpora, vel vt elementa.

Auerr. dicit formas contrarias loquẽs ad mentem Alex.

Formę elemẽtorum mediæ inter substantiam, & accidens.
Medium duplex.

suo

ſuo loco erit dicendum, & dicetur fortaſſis ita diſtinctè, vt facilè pateat, quid ſentiendum ſit. Sic ſe excruciant Auerroiſtę, & omnes in idem recurrunt paucis mutatis: ſcribunt, & tranſcribunt: mutant verba non res; aut ſi res mutant, parum mutant. Hinc autem apparet, quanti ſit hæc quæſtio, quot principia oporteat declarare pro ipſa determinanda. Propoſitis illis formis innominatis, cum petitur ab ipſis quomodo ad illas ſe habeant qualitates: alij dicunt, quòd ſunt illarum inſtrumenta: alij, quòd ſunt proprietates, & cum iſtis obijcitur, quòd proprietates conueniunt vni ſoli; modò, caliditas eſt in igne, & in aere; habent reſponſionem Auerrois 8. Metaphyſic. com. 5. vbi ſic diſtinguit. Caliditas duobus modis poteſt conſiderari, vel vt caliditas, vel vt talis caliditas. Si conſideretur vt caliditas, non eſt proprietas ignis; ſed eſt illius proprietas, ſi conſideretur vt talis caliditas: quæ eſt Græcorum diſtinctio. Qui poſt ſcripſerunt, omnes pro defenſione formarum innominatarum, iſtis vſi ſunt; variè, prout quiſque rem ſiuè intellexit, ſiue non intellexit. Et ad locos Ariſt. non adhibent alias gloſas, præter quam iſtas. quod ſuo tempore conſiderabitur.

Quæſtionis huius grauitas.

Qualitates ſũt inſtrumenta, ſiuè proprietates formarum innominatarum.

Caliditas quo modo ignis proprietas.

CAPVT SEXTVM.

Sententia Latinorum.

LATINORVM Schola in alia eſt opinione, quam fecit ſub Auerroe, licet in Auerroe non penitus ſteterit: In riuulis hæc opinio multa eſt, & vagans, & varia: In fonte magis conſtat. Et hoc accidit; quia huius Scholæ eſt conſuetudo, non multum reuerti ad principia, ſed poſteriores prioribus ſubſcribunt, paucis additis, ſublatis, aut immutatis, ſiuè in melius, ſiuè in peius. Creditur cum Latinis eſſe Auicennas, qui tamen in ſuo libro de Cœlo, ita generat elementa, vt videatur ipſa ſubſtantialiter per qualita-

Auicẽnas creditur eſſe in Latinorum opinione.

tes constituere. Putatur etiam posse esse cum eisdem Dexippus, & Simplicius, de quibus iam diximus. Ego, non vt feci cum Græcis, & Auerroe, afferam hic locos transcriptos. sunt enim horum libri in omnium manibus, & recentiores omnes hæc ponunt, vt ferè qui vnum vidit, alterum viderit. Adducam solùm aliqua dicta Alberti principis illorum Scholæ. Conueniunt igitur omnes, quòd hæ qualitates sint accidentia; formas substantiales dicunt antecedere has qualitates, & esse innominatas. Quam sententiam student tueri ijs fundamentis, quæ à nobis pro obiectionibus ad sententiam Arist. sunt proponenda, & remouenda. Inter Latinos præcipuus est Albertus, qui & ipse hanc habuit sententiam. Verumtamen vbi fuit coactus paulò acrius philosophari, paululum videtur deflexisse. vnum enim ex Latinorum fundamētis, quòd hæ qualitates sunt accidentia elementorum, in hoc est positum, quòd substantia non habet contrarium; Albertus verò cap. 24. 1. de Generatione hæc habet: *Attendendum est iterum, quòd cum dicitur, generationem esse inter contraria à Philosophis, & ab eisdem dicatur, substantiæ nihil esse contrarium, & ideo in substantia non esse generationem, est sophistica æquiuocationis substantiæ; quia cùm Logicus non loquatur de re, nisi secundum quòd est designabilis per ea, quæ sunt in ipsa prædicatione accidentali, vel substantiali; non autem est designabilis nisi composita substantia propriè loquendo, ideo ponit genus vnum Logicus, quod est composita substantia.* Subdit: *Et ideo quia substantiæ non est contrarium, ideo hoc propriè ponit Logicus; sed substantiam in se, & in suis principijs, considerat Philosophus: & primum sunt materia, & forma, & considerando materiam, prout est substantiæ principium, circumstat ipsum contrariæ differentiæ, & formæ.* Subdit: *Natæ sunt fieri circa idem, & habere operationes contrarias, ideo substantia, quæ est principium substantiæ, potest habere contrarium.* Secundo de Generatione tex. 6. *Non minus etiam habemus dicere principium formale ipsorum, hoc est qualitates distinguentes materiam.* Habebunt Latini suas glosas.

Fundamentū vnum Latinorum.

Albertus 1. de Generat. cap. 24.

Contrariæ differentiæ & formæ circa materiam.

Substantia potest habere cō trarium.

gloſas. Haberem, & ego alios locos Alberti, ſed hic nolo immorari. Communis tamen Schola tenet elementa habere formas ſubſtantiales, vltra iſtas qualitates, quæ ſint innominatæ: & in hoc conuenit cum Auerroe, prout illius ſententia paſſim accipitur. Tenet poſtea contra Auerroem has formas non eſſe contrarias, & dicit, qualitates eſſe accidentia ipſis elementis, quæ ſe habeant ad formas, aut tanquam inſtrumenta, per quas formæ operentur, aut tanquam proprietates. Pro quo dicto ſeruando vtuntur diſtinctione quam propoſuimus ex Auerr. 8. Metaphyſico. com. 5. quòd ſcilicet iſtæ qualitates duobus modis poſſunt conſiderari, vel vt qualitates ſimpliciter, vel vt tales. Si conſiderentur vt qualitates ſimpliciter non ſunt propriæ; ſed ſunt propriæ, ſi conſiderentur, vt tales. Dicunt præterea iſtas qualitates, quæ accidentia ſunt, pro generatione, & corruptione elementorum habere rationem diſpoſitionum, & ſic ſeruant illud, quod dicitur, generationem, & corruptionem eſſe ratione contrarietatis. Dicunt enim, quòd licet inter elementa non ſit contrarietas ratione formæ, eſt tamen contrarietas ratione diſpoſitionum ad formam, quæ omnia ſuo tempore ſunt conſideranda.

Qualitates ſũt accidentia elementorum.

Qualitates ꝑ generatione, & corruptione elementorum, habent rationem diſpoſitionum.

Contrarietas inter elementa.

CAESARIS CREMONINI CENTENSIS

De Formis Elementorum, SECTIO SECVNDA.

CAP. PRIMVM.

Aristotelis Opinio proponitur.

IN Aristotelis sententia proponenda id faciemus, quod & supra fecimus in proponenda Græcorum, & Auerrois opinione; locos scilicet ad verbum transcribemus: sed præter hoc rationes ex ipso deductas adducemus: & tertiò glosas ad Philosophi dicta afferri solitas, nullius momenti esse demonstrabimus. Incipiemus autem à locis Philosophi, veluti extra petitis: deinde ad magis proprios deueniemus, vt appareat, ipsum nullibi vnquam, & nullo vnquam modo, aliud dixisse, quàm quòd hæ qualitates sint elementorum formæ substantiales. Secundo igitur de Partibus Animalium capite primo habet Philosophus: *Cùm igitur triplex sit compositio, prima statui potest ea, quæ ex primordijs ijs, quæ nonnulli elementa appellant,*

Loci Arist. in quibus habetur qualitates primas esse formas substantiales elementorũ, adducuntur.

Locus 2. de Partibus Animaliũ cap. 1. explicatur.

terram dico, aquam, aerem, & ignem, ſed melius fortaſſe dici poteſt, ex virtutibus confici elementorum, ijſque non omnibus, ſed vt antea expoſitum eſt: humiditas enim, & ſiccitas, & caliditas, & frigiditas materia corporum ſunt compoſitorum. Continuat Philoſophus ſermonẽ cum 4. lib. Meteororum, quem concluſit in generatione ſimiliarium, & ponit tres compoſitiones. Prima compoſitio eſt miſtorum ſimpliciter, vt miſta ſunt; ideſt ſimilarium ſimpliciter. Secunda eſt miſtorum in Animalibus, ideſt ſimilarium ordinatorum ad diſſimilaria. Tertia diſſimilarium ex ſimilaribus. Habet litera circa primam compoſitionem: *Ex primordijs ijs, quæ nonnulli elementa appellant.* Ideſt ex quatuor elementis. Vtitur autem hoc modo loquendi; *quæ nonnulli elementa appellant,* reſpiciens Antiquos, & præcipuè Empedoclem, qui hæc corpora ſtatuebat prima rerum principia, cùm verè non ſint, alioquin verò etiam Ariſt. loquens de iſtis corporibus dicere conſueuit, vocata elementa, quod dicitur ad differentiam materiæ, & formæ, quæ ſunt verius elementa; quatenus non habent ante ſe omninò aliud, in quod reſoluantur; cum hæc ſimplicia corpora in materiam, & formam, ex quibus conſtant, poſſint reſolui. Explicat deinde, quæ ſint iſta ex quibus fit huiuſmodi prima compoſitio, cum inquit: *Terram dico, aquam, aerem, & ignem.* Et quoniam in horum conſtitutione eſt etiam materia, quæ ipſa non miſcetur: ſi quidem miſtio, eſt per actionem contrarietatum, à contrarietate verò libera eſt materia: & tantummodo dum miſcentur illæ formæ elementorum contrariæ, & vnum eſſe accipiunt, ipſa etiam ſub illis ſic vnitis, acquirit vnicam exiſtentiam, cum quatuor exiſtentias, ſub illis quatuor formis, antea haberet. Ideo Philoſophus reſpiciens formalem, & veram rationem miſtionis ſubiungit, melius dici ex virtutibus elementorum, vt antea expoſitum eſt in libris de Generatione, & in quarto Meteororum, quãdo miſtio, & generatio miſti fuit conſiderata. ibi enim omne ad illas mutationes pertinens, ad has virtutes refertur. Et probat hoc melius dici, nempe

Cur elementa dicuntur vocata elementa.

nempe ex virtutibus elementorum, potiusquam ex elementis, oriri hanc primam mistorum compositionem: probat autem hoc pacto; quia hæ virtutes sunt materia in compositis. sunt enim misti materia proxima, nec materia prima ad hoc constituendum se habet, nisi quatenus his virtutibus est informata. quare optimè dicitur, quòd ex illis fit compositio misti, quia vnumquodque est ex materia sibi conuenienti, quatenus formam sibi adiungit. Hoc autem sic esse intelligendum, clarè patet ex eo, quod consequitur, habet enim litera: *Grauitas, leuitas, raritas, densitas, asperitas, lenitas, & reliquæ id genus.* Omnes istæ affectiones non sunt profectò affectiones elementorum, sed aliquæ sunt mistorum. Quare si oportet, Philosophum de ea compositione loqui, in qua qualitates elementorum sunt materia, & ad quam sequuntur hæ affectiones, oportet sanè illi esse sermonem de compositione misti. Quapropter (vt dicebam) hæc prima compositio attinet ad mistum; ad mistum verò simpliciter acceptum, quatenus constat ex elementis sine vlla adiunctione, & prout illud nihil consequitur præter corporeas qualitates. Quod quidem illud etiam potest ostendere, quòd à principio fuit adductum; continuatio scilicet sermonis ad 4. Meteororum, vbi nō de elementorum, sed de similarium compositione fuit sermo. Et præterea in litera habemus semper vocabulum compositi, quod quidem ad differentiam simplicium corporum solet Philosophus semper tribuere mistis, & corporibus, quę ex alijs corporibus componuntur. Sic 1. de Cœlo tex. 7. motus mistorum appellatur motus compositorum. Secunda postea compositio, est de misto eodem similari ad esse animatum se habente, vt clarè apparet ex tex. habet enim litera: *Secunda constitutio ex primis illis; ideſt eiſdem virtutibus, natura ſimilarium partium in animalibus eſt, vt oſſis, vt carnis, & reliquorum generis eiuſdem.* Apertè profectò ad animalia Philosophus ordinat compositionem, atque sola illa se determinat exemplis, vt prima compositio à secunda nihil differat, nisi hac

vna

vna magis particulari relatione. Hac itaque recepta explicatione; sic arguo ex hoc textu duobus argumentis. Primò: Id, quòd est ratio, & principium mistionis, qua constituatur substantia misti, est substantiale, virtutes elementorum sunt talis ratio, & tale principium, ergo non sunt accidentia, sed sunt substantiales qualitates. Secundò: Materia compositi substantialis est aliquid substantiale, hæ qualitates sunt materia compositi substantialis, ergo sunt substantiales. Tertio: Compositio, quā ponit Philosophus est constitutio dissimilarium, siue in toto, siue in partibus; hoc enim non variat vlla ratione compositionem, sed hæc nihil ad præsentem sermonem. quare in ea non immorandum.

Duo argumēta, quibus probatur, primas qualitates esse elementorum formas substantiales.

Est præterea locus alter Philosophi idem significans de his qualitatibus 2. de Anima tex. 28. vbi habetur: *Adhuc autem alimenti sensum habent, tactus enim alimenti sensus est. siccis enim, & calidis, & frigidis, & humidis aluntur omnia viuentia: horum autem sensus est tactus.* Accipio primò ex hoc loco, quòd non dicitur sensus alimenti ille sensus, qui sentiat ea, quę se habent ad nutriendum per accidens. hac enim ratione gustus non dicitur sensus alimenti, qui sentit saporem; quia sapor est condimentum nutrimenti, & non est quid essentiale nutrimento. Tunc arguo hunc in modum. Si tactus est sensus nutrimenti, ergo quæ sentit tactus, se habent per se, & propriè ad nutriendum; tactus autem sentit has qualitates, ergo hæ qualitates se habent per se ad nutriendum: Quòd se habet per se ad nutriendum, est substantia, quia nutrimentum est substantia, vti quod nutritur est substantia ex primo de Generatione, ergo istæ qualitatates non sunt accidentia, sed sunt substantiales. 3. insuper de Anima tex. 10. Arist. ita loquitur. *Sensitiuo igitur calidum, & frigidum, & quorum ratio quædam caro est.* Arguo ex hoc textu sic. Id, in cuius temperamento consistit essentia carnis, est substantiale; quia caro est substantia, & essentia substantię non potest esse posita in accidentalibus: in temperamento harum qualitatum consistit essentia carnis ex illo textu, ergo

Explicatur locus lib. 2. de Aīa tex. 28.

Ponderatur locus in tex. 10. lib. 3. de Anima.

ergo istæ qualitates non possunt esse accidentales, sed necessarium est, vt sint substantiales. Alios etiam locos in his libris habere possem, præcipuè cùm Philosophus loquitur de tactu, sed hi sufficiant. Sunt in alijs libris alia Arist. dicta in idem nihil minus tendentia 4. Meteor. in principio: *Quoniam autem quatuor determinatæ sunt causæ elementorum, harum autem secundum coniugationes, & elementa quatuor*. Debent sanè istæ causæ esse tales causæ, quales requiruntur ad hoc, vt ex illarum numero constituatur numerus elementorum, iste numerus non est numerus indiuidualis. elementa enim non solo numero, sed specie distinguntur; quæ specie distinguntur, per differentias specificas distinguntur, ergo istæ qualitates sunt tales causæ, quæ sint specificę differentiæ elementorum. Sic in 2. cap. 1. libri dicebat, alia simplicia, præter Cœlum, esse quatuor ob quatuor principia, quę sunt quatuor qualitates; quæ si sunt principia elementorum non possunt certè esse accidentia. Has similiter cap. 2. 2. de Partibus Animalium vocabat causas vitæ, & mortis, & elementorum principia, quod non puto vnquam fuisse Arist. dicturũ, si eas credidisset esse accidentia. 8. Metaphys. tex. 5. habet. Id quod est causa vni, vt sit, est eius forma: addi potest ex hoc loco. Caliditas, est causa igni, vt sit, ergo est eius forma, & talis forma, quę sit substãtia & natura illius. 2. Physico. tex. 13. forma est natura; quia per formam est generatio. Adiungatur itaque generatio ignis est per caliditatem, ergo caliditas est forma, & natura ignis. Definitur præterea generatio misti tex. 2. quarti Meteoror. hac definitione: *Generatio est transmutatio ab his virtutibus, cum habeant rationem ex subiecta materia*. Arguo sic ex hac definitione. Generatio, quæ definitur est substantialis: Generatio substantialis non definitur per aliquod accidentale, tanquam per causam sui, ergo contrarietates, per quas definitur, non possunt esse accidentales. Idem sic confirmatur. Generatio est effectus substantialis, ergo debet definiri, per causas substantiales, ergo quæ ponuntur in definitione, vt causæ, debent

Locus 4. Meteor. in principio declaratur.

Locus Arist. 2. de Partibus Animaliũ capit. 2. dilucidatur.

Locus 8. Metaphys. tex. 5.

Locus in 4. Meteor. tex. 2.

Definitio generationis misti.

bent esse causæ substantiales, non accidentales. Item: Generatio misti, quoniam definitur, prout terminatur ad esse substantiale misti, debet definiri per ea, quæ sint de esse substantiale eiusdem misti; sed accidentia non sunt de esse substantiali misti, ergo non est definienda per accidentia, definitur per has qualitates, ergo hæ qualitates sunt substantiales misto, non accidentales: non possunt autem esse substantiales misto, nisi sint substantiales miscibilibus: hæc miscibilia sunt elementa, ergo sunt substantiales elementis. Primo insuper de Generatione, & Corruptione tex. 55. sic habet Philosophus: *Forma autem, & fines habitus quidam sunt, materia autem secundum quòd materia passiuum. Ignis igitur habet in materia calidum.* Cum formam nominat eo loco Aristoteles, dubio procul intelligit formam substantialem; quia hæc est illa, quæ est finis, & quæ respicit materiam, ex qua rei substantia componitur, ergo dum concludit: *Ignis igitur habet in materia calidum,* agnoscit caliditatem, vt formam substantialem ignis. Sequitur comparans caliditatem, quam habet ignis in materia Ideis, & Intelligentijs, & ait: *Si autem aliqua esset separata caliditas, hac nihil vtique pateretur.* Ignis idealis est substantia: ponit caliditatem pro igne ideali, ergo caliditas est substantia ignis. Intelligentię sunt formæ substantiales separatæ: ijs coordinatur caliditas solùm ab illis differens, quatenus ipsa est in materia; illæ autem minimè, ergo caliditas ignea cognoscitur, vt forma substantialis. Adiungatur, quòd quando ibi dicit Philosophus: *Materia autem secundum quòd materia passiuum,* notat se intelligere de materia prima, quæ est ens solùm passiuum. Si enim eã acciperet, vt est formata, iam habet coniunctum aliquod actiuum; adeò vt si volumus verificare propositionem: Materia secundum quòd materia passiuum, oportet vt intelligamus materiam secundum se, in suo puro esse. Colligit autem Philosophus hoc pacto, ignis igitur habet calidum in materia, ergo ignis constat ex caliditate, & materia prima, ergo non est in eo alia forma innominata antecedens

Locus in 1. de Generatione tex. 55.

cedens

cedens caliditatem. Insuper vult declarare, quomodo quędam agendo patiantur. Passio est propter materiam, actio propter formam: Applicantur igni actio, & passio; quia ignis habet caliditatem in materia, ergo caliditas ponitur esse in igne, vel vt forma, vel vt materia: non vt materia, veluti compertissimum est, ergo vt forma. Nec oportet confugere ad consuetam distinctionem, quòd consideret ignem in relatione, quatenus est elementum. Nam considerat ibi ignem, quatenus constituitur in esse diuerso à formis separatis. Obseruare etiam libet, quòd, si caliditas non est forma ignis, illa propositio: Ignis habet calidum in materia, erit falsa. in composito enim non in materia, de qua ibi loquitur habebit caliditatem. Primò etiam Physic. tex. 54. comparat inuicem Antiquos ponentes, pro principio subiecto omnibus naturalibus transmutationibus, aliquod corpus. laudat eos, qui ponunt medium, & ait: *Ignis enim, & terra, & aer, & aqua contrarietatibus complexa sunt*. Istæ contrarietates sunt quatuor qualitates, quod ibidem ex his, quę dicit de aere patere potest: *Aer enim* (inquit) *minimè aliorum sensibiles habet differentias*. Istæ ergo contrarietates possunt esse, aut substantiales, aut accidentales. Si sint accidentales, hoc, quod ipse statuit pro impedimento, ne possit habens contrarietates esse principium, nihil facit; quia accidentia eunt, & redeunt, non determinant subiecti naturam: quocirca oportet intelligere substantiales contrarietates, ergo opinatur Philosophus has elementorum contrarietates esse essentialiter illorum constitutiuas; alioquin quod dicit, & est maxime momenti ad constituendam naturam potentialem, & indifferētem materiæ primæ, nihil valeret. Auerr. ibi clarè sic loquitur: *Oportet, vt non habeat aliquam contrarietatem in sua substantia*. Hactenus locos extrauagantes accepimus, in quibus saltem nihil dicitur, quod nos possit persuadere, vt ponamus has qualitates esse accidentia, quinimò semper expresè ita omnes loquuntur, vt oporteat, ex eorum dictis illas constituere differentias substantiales.

Locus in 2. Phys. tex. 54.

Quid verò isti in oppositum assignabunt? An locum vllum, qui dicat, quòd sunt accidentales? Quæso ipsos. An dicent 10. Metaphysic. tex. 2. scribi, quòd igni accidit elementum esse, & in 12. tex. 22. calidum tanquam forma, ergo non forma? Indigna hæc sunt, quæ afferantur. Quod quidem primò dicitur, non est vllo modo ad rem, verumtamẽ accipiant declarationem. Materia, & forma sunt per se elementa; quia non possunt esse, nisi sint in composito, tanquàm illius elementa. Ignis pôtest esse, quamuis non sit in composito, nam de se habet existentiam absolutam. Sic igitur sumendo elementi vocabulum pro respectiuo, accidit igni elementum esse, quia nec essentia, nec existentia ignis hoc sibi coniungit, vt sit elementum; adeo scilicet, ne possit esse, nisi in re aliqua existat cuius sit elementum, vt se habet necessariò de existentia materiæ, & formæ. neque enim vnquam existent, nisi simul sint tanquam elementa aliud constituentia; quocirca non dicitur de ipsis, quòd eis accidat esse elementa, vt dicitur de igne. Et hæc est etiam ratio, cur semper cum loquitur Arist. de simplicibus corporibus, ea nominet, non quidem simpliciter elementa, sed vocata elementa. De secundo horum dicto est legendus solùm textus pro resolutione. Comparat ibi Philosophus secundas formas inuicem, deteriorem præstantiori. Et ait, præstantiorem habere rationem formæ, deteriorem priuationis. Non comparat calidum, & frigidum, tanquàm partes elementorum suis totis elementis. Doctrinam hanc habemus 3. Physic. tex. 5. Sic & Auerr. eo com. tex. 22. vbi ad verbum habet: *Quod est autem quasi forma, est sicut calor, qui est forma quorundam elementorum ignis, & aeris. Illud verò, quod est quasi priuatio, est sicut frigidum, quod est forma terræ, & aquæ.* Quare potius inde habetur appositum eius, quod ipsi volunt, quàm propositum illud, quod malè præsumunt. Primo de Generatione clarissimè hoc, quod diximus, habere possumus tex. 18: *Vt putà, si calidum quidem prædicamentum aliquod, & forma; frigiditas autem priuatio.* Ex quo quidem

Loci Arist. pro Aduersarijs ponuntur.

Declaratur locus 10. libro Metaphysico. tex. 2.

Declaratur locus in tex. 22. lib. 12. Metaphysic.

Locus declaratur in tex. 18. 1. de Generatione.

tex.

tex. habetur manifestè, has qualitates esse formales elementorum differentias. Est enim Philosophus in hac quæstione, vt reddat rationem, cur in substantijs habeatur generatio simpliciter, & secundum quid. Et ait id euenire; quia in substantijs sunt quædam magis substantiæ, quædam minus. Magis substantias dicit eas, quarum differentiæ magis hoc aliquid significant, hoc certè dicitur de substantialibus, & subdit verba illa superius posita, quæ certè attinent ad esse substantiale, & concludit: *Differunt autem terra, & ignis his differentijs*; calido scilicet, & frigido. Quare calidum, & frigidum erunt differentiæ substantiales. Est alter locus in cap. quarto primi Meteor. vbi Aristoteles siue generans elementa, siue aliter tansmutans, docet, quomodo se habeat materiæ potentia ad ipsa, & scribit: *Oportet autem intelligere sic, & hinc cum incœperimus. quod enim sub ea, quæ sursum est circulatione corpus vel vt materia quadam existens potentia calida, sicca, & humida*. Ex hoc loco istud accipitur. Materia per suam potentiam se habet ad formam substantialem, & illam immediatè respicit: Sed materia se habet ad istas qualitates per suam potentiam, siue pro generatione elementorum quam ibi proponit Philosophus, siue pro eorum transmutatione, ergo istæ qualitates sunt formæ elementorum.

Locus declarat in 4. cap. 1. Meteoror.

CAP. SECVNDVM.

Ponuntur alij loci Arist. in quibus euidentius habetur, qualitates primas esse formas substantiales elementorum.

VERVM his positis adeamus locos, in quibus ex professo in re ista Arist. versatur. Videantur illa, quæ disputat de transmutatione elementorum 2. de Generatione. Omnia sanè his qualitatibus tanquam principijs transmutandi, & essendi innituntur, & habet ad verbum tex. 24.

Locus in 2. de Generatione tex. 24. explicatur.

Quòd igitur omnia nata sint ad inuicem transmutari, manifestum est. generatio enim in contraria, & ex contrarijs: elementa autem omnia contrarietatem habent ad inuicem; quia differentiæ sunt contrariæ. Mutatio secundum differentias non specificas, non facit mutationem substantiæ: Mutatio secundum differentias, quas dicit Philosophus, facit mutationem substantiæ, ergo illæ sunt differentiæ specificæ. Istæ sunt quatuor qualitates, ergo quatuor qualitates sunt differentiæ specificæ elementorum. Cum faciliorem ponit, & difficiliorem ponit elemẽtorum mutationem, ait: *Vt ex igne quidem erit aer, altero transmutato. illud enim erat calidum, & siccum; hoc autem calidum, & humidum. Quapropter, si vincatur siccum ab humido, aer erit.* Colligo ego. Aer est per humiditatem, ergo humiditas est differentia substantialis aeris. Idem infra habetur de terra: *Quapropter victo humido terra erit.* Tex.49. eiusdem 2. *Aer autem, & ignis, quoniam contraria sunt terræ, & aquæ. Terra enim aeri, aqua verò igni contraria est, vt contingit substantiam substantiæ esse contrariam.* Contrarietas, quam habent ista inuicem, est certè secundum istas qualitates. quòd si pateat poni in elementis à Philosopho contrarietatem secundum esse substantiale, patebit simul, quòd illæ qualitates sunt differẽtiæ substantiales. Contrarietatem verò, quam ponit eo loco Philosophus inter aquam, & ignem, debere esse substantialem, facilè sic patet. Requiritur contrarietas inter ista, quatenus simul miscentur: Sed simul miscentur, quatenus substantiæ sunt, ergo contrarietas inter illa requiritur, quatenus substantiæ sunt. Et Aristoteles hoc cognoscens subiunxit illud: *Vt contingit substantiam substantiæ esse contrariam*; idest secundum formas, ne aliquis crederet, debere etiam poni contrarietatem in tota substantia, non solùm quantum ad formam; sed etiam quantum ad materiam. Dicit igitur: *Vt contingit substantiam substantiæ esse contrariam*; quia non simpliciter hoc contingit, neque enim quantũ ad materiam, sed solum quantum ad formam. Arguam etiam sic. Necessarium

Tex.49. lib. de Generatione declaratur.

ſarium eſt, eatenus eſſe contraria iſta elementa, quatenus miſtis inexiſtunt: Miſtis inexiſtunt ſecundum eſſe ſubſtantiale, ergo ſecundum eſſe ſubſtantiale habent contrarietatem: Contrarietas, quam ſemper aſſignat Ariſt. eſt ratione harum qualitatum, ergo hæ qualitates ſunt illis ſubſtantiales. Noui, quid de miſtione dicant Latini. Sed noui etiam, quas inuolutiones afferant. Nunc dicitur de ipſis, quantum hic ſufficit, alibi oſtendetur verum eſſe, quod dicit Auerr. in hoc com. *Quapropter neceſſe eſt, vt aqua, & ignis ſint in compoſitis.* Nunc perpendamus tex. 6. huius ſecundi de Generatione vbi habet Ariſt. *Nos autem dicimus, aliquam materiam corporum ſenſibilium, ſed hanc non ſeparabilem, ſed ſemper cum contrarietate ex qua generantur vocata elementa.* Loquitur de contrarietate dante exiſtentiam materiæ. quare loquitur de contrarietate generante, & conſtituente, per quam elementa ſint inuicem tranſmutabilia, & miſcibilia, ergo de poſitiua; quia priuatio machinatur ad maleficium, & nihil conſtituit, & nihil agit. Quid multa? tex. 7: *Non omnes contrarietates corporis formas, & principia faciunt.* Si igitur hæc vera ſunt. Primò hoc accipitur, ergo contrarietates, quæ proponentur, ſtatuentur tanquàm formæ. Secundò accipitur, ergo proponitur à Philoſopho contrarietas poſitiua formæ ad formam. Subiungit deinde in tex. 6: *Determinatum autem eſt de his exactius in alijs*, ait D. Thomas in 3. de Cœlo tex. 53. ſed non eſt dubium, quin ſe referat Ariſt. ad 1. Phyſic. vbi ratio principiandi ipſius materiæ in hoc fuit poſita, quòd contrariorum viciſſim abſentiam, & præſentiam ſuſtineat. Sequitur textus: *Sed tamen quoniam, & hoc modo ſunt ex materia corpora prima, determinandum eſt, & de his. principium quidem, & primum exiſtimantes eſſe materiam, inſeparabilem quidem, ſubiectam autem contrarijs. neque enim calidum materia eſt frigido, neque hoc calido; ſed ſubiectum ambobus.* Hinc ordine ſic proponit conſtitutionem elemẽtorum: *Quapropter primum quidem potentia corpus ſenſibile principium eſt. Secundum autem contrarietates: dico autem,*

[Auerroes.]

[Perpenditur tex. 6. lib. 2. de Generatione.]

[Perpenditur tex. 7. eiuſdem 2.]

[D. Thomas.]

tem, vt caliditas, & frigiditas (nondum enim quales contrarietates oporteret accipere erat definitum.) *Tertium autem iam ignis, & aqua, & alia*. Hic non video alias formas in materia ante has qualitates: quę sanè qualitates, si haberent ante se alias formas iam non essent secundum in elementorum constitutione, sed tertium. Subiungit Philosophus: *Hæc enim transmutantur ad inuicem, & non vt Empedocles, & alij dicunt. neque enim esset alteratio; contrarietates autem non transmutantur*. Vult dicere Philosophus, quia volumus elementa inuicem mutari, oportet ea esse ex his contrarietatibus, & materia, quæ sit potentia corpus sensibile, alioquin non transmutarentur; quia contrarietates per se non transmutantur inuicem sine hoc communi subiecto. neque etiam sine tali subiecto, quod sit potentia vtrumque. Nullibi video alias formas pręter qualitates, alia principia præter ista. Et obseruo, quòd loquitur de contrarietate positiua; quia loquitur de contrarietate per quam materia existat; non existit autem materia per priuationem. Et hoc sic esse intelligendum, vel cęcis poterit esse euidens, si considerent haberi de materia eandem sententiam in primo, tex. 29. cum his verbis: *Quam nunquam sine passione possibile est esse, neque sine forma*. Quare contrarietatem, à qua materia non denudatur, agnoscit Philosophus formalem, & positiuam, non priuatiuam. Et in tex. 7. *Quærimus corporis sensibilis principia*. Et infra: *Non omnes contrarietates corporis formas, & principia*. Noui glosam, quòd constituantur vt elementa, vel vt sensibilia, vel quòd hæc circumscriptiuè dicuntur quæ omnia nunc prætermittuntur; erunt autem considerata suo loco, ne in quæstione difficili, adhuc maiorem faciamus difficultatem, disputationem confundendo. Textu præterea 16. eiusdem 2. sic habet: *Quoniam quatuor sunt elementa*. Vocat has qualitates elementa: Elementum est id, ex quo primò res fit, & in quod vltimum resoluitur, ergo ex his fiũt corpora simplicia, & in has resoluuntur; si autem in has resoluuntur, resoluuntur in ipsas, vel tanquam in materiam, vel

Tex. 29. primi de Generatione & tex. 7. secundi exponitur.

Declaratur locus in tex. 16. lib. 2. de Generatione.

vel tanquam in formam. Non tanquam in materiam, vt notum est, ergo tanquam in formam: & sic hæ sunt formæ. Appellat elementa, ait D. Thomas communiter accipiendo vocabulum elementi, quatenus ex ipsis componuntur primæ coniugationes, vel etiam quia omnes aliæ qualitates in has reducuntur. sic 5. Metaphysices dicitur elementum, ex quo componitur aliquid primò, & est in eo. Et primæ propositiones demonstrationis, ex quarum virtute procedunt ceteræ demonstrationes, in quas omnes aliæ propositiones reducuntur, dicuntur elementa: de qua re suo loco infra. Nunc sit finis locis Aristotelis recensendis, quibus patet claram fuisse eius sententiam, non esse in elementis alias formas præterquam istas qualitates. Rationes modò aliquæ ex eodem Philosopho sunt afferendæ.

D. Thomas.

CAP. TERTIVM.

Alios Antiquiores idem sensisse.

ANTEQVAM rationes proponamus, quod facere solet Philosophus, qui Antiquiores suæ conformes opinioni, cum potest accipit, idem nos pro Aristotele facere possumus, & pro nobis, qui hoc idem sentimus, quod ostendimus sentire Arist. Parmenides igitur cum dicit, principia calidum, & frigidum; calidumque ignem statuit, dubio procul non vult caliditatem accidentalem esse igni, sed ignis essentiam nihil aliud esse, quàm ipsam caliditatem. Et qui calidum, & frigidum principia ponere dicuntur, non dubito, quin rerum substantiam per hæc designari opinarentur, siue ad materiam, siue ad efficiens ipsa referrent. Empedocles certè quatuor eleméta his qualitatibus simul cum alijs constitui statuit. Quandoquidem illis ablatis per amicitiæ imperium auferebatur illorum esse, & fiebat Sphærus vniformis: illisque acceptis per imperium litis, iterum fiebant elementa,

Parmenides.

Empedocles.

menta, quæ postea quantumuis miscerentur remanebat eadem incorruptibilia, & intransmutabilia. Ocellus Lucanus Pythagoricus ante Aristotelem in suo libro de Vniuersi Natura, cùm dixisset, primum requiri materiam, quam appellat corpus, ob terdimensum; in quo omnia sunt potestate: & quod vnum subijcitur ad complẽdam omnem generationem, ita scribit: *Secundum quod requiritur, sunt res contrariæ.* Et subdit: *Tertiò loco sequuntur substantiæ, quarum illæ facultates sunt, vt ignis, & aqua, & aer, & terra.* Ex his itaque facultatibus (ita vocat qualitates) vir iste constituit elementa, qui quidem plurima habet, quæ, & Aristoteles. præsertim verò est simillimus Arist. in dictis illius tex.6. Cum autem fuerit Ocellus Pythagoricus, vt etiam fuit Empedocles, rationabile est, hanc fuisse Pythagoricam sententiam, præsertim, quod ex his, quæ habemus à Simplicio com.7. 3. de Cœlo, Timeum Locrum, à quo transcripsit Plato, idem sensisse conijcimus. Quod etiam fuisse Platonis, id significantis per generationem elementorum ex figuris, licet accipere: & clarè sumit Simplicius eodem loco. Fuit autem, & Plato Pythagoricus, quos quidem Pythagoricos, clarè habet Simplicius ex figuris constituisse elementa his qualitatibus proportionatis; tanquam his qualitatibus elemẽta formanda essent. Nunc non ponam verba eius comenti: In eo ipso legi possunt. solum admoneo, quòd corpus exquale, siue dicas qualitatis expers istis Viris non dicit formam vllam, sed molem materiæ, quam etiam ponunt Græci pręexistentem, ad hoc vt informetur particularibus corporum formis. In hoc autem differt modus Græcorum interpretum, circa hanc molem materiæ, à modo horum vetustiorum, quòd Antiquiores videntur per hanc in materia ponere aliquid determinatè, Græci verò nihil. Id postea, quod dicitur à Pythagoreis: figuras esse causas caliditatis, est propter hoc; quia reddebant rationem ex materia, cur talis portio illius esset calida, talis frigida; reddebant autem ex figuris, quæ non erant formæ materiæ, sed vię in materia ad formas,

Ocellus Lucanus.

Timeus Locrus. Plato.

Explicatur dictum Pythagoricum: figuras esse causas caliditatis, frigiditatis &c.

istæ

istæ autem qualitates erant prima informantia materiam,& constituebant elementa, & nihil erat ante illas in materia simpliciter constitutiuum alicuius speciei corporis. Possem etiam afferre dicta Hippocratis, de quo nihil dubium est, quin dixerit has qualitates esse substantiales elementis, sed est locus plurium verborum. Possem & Platonis particulariter sententiam proponere idem afferentis, sed & hoc esset nimis digredi; quia oporteret multa declarare. Et non sumus in disputatione de omnium opinionibus, sed de opinione Aristotelis. Et ista, quæ adduximus ex Antiquis, ex abundantia adduximus.

Hippocrates.

CAP. QVARTVM.

Rationes proponuntur, quòd primæ qualitates sunt formæ substantiales elementorum.

RATIONES propositurus non multum diuagabor in accumulandis argumentis, sed paucis ero contentus, quæ rem satis confirment. Sit igitur prima ratio. Si formæ elementorum non sunt contrariæ, sunt incorruptibiles: sed est falsum, formas elementorum esse incorruptibiles, ergo formæ elementorum sunt contrariæ. Consequentia primò declaratur: deinde probatur. Declaratur; quia ex 1.Physic.tex.47.& 1.de Generatione tex. 50. quicquid fit, & corrumpitur, ratione contrarietatis fit, & corrumpitur: contrarietas autem dupliciter potest rebus in esse, aut quia sint ipsæ contrariæ, aut quia sint ex contrarijs, quæ ad verbum est doctrinæ Arist. in tex. illo 50. 1. de Generatione. Formæ igitur elementorum, si debent corrumpi, oportet, vt habeant contrarietatem altero horum modorum: non possunt eam habere secundo modo; quia sunt primæ, quæ sunt in materia, nec dependent ab aliqua mistione contrarietatum. Quare relinquitur, si debent habere contrarietatem,

Ratio prima probans formas elementorũ esse contrarias.

Contrarietas est in rebus, aut quia sint ipsæ cõtrariæ, aut quia sint ex contrarijs.

vt primo modo eam habeant, & sint ipsæ inter se contrariæ: Adeo vt consequentia hoc pacto cõfirmetur. Quicquid corrumpitur, illud omne corrumpitur, aut quia habet contrarietatem, aut quia est ipsum alteri contrarium: Formæ elementorum ex omnium concessione non sunt in primo statu: Per aduersarios autem non sunt etiam in secundo, ergo formæ elementorum sunt incorruptibiles. Tale argumentum fuit propositum à Simplicio 2. Physic. com. 11. circa Substantiæ generationem, & concessit Simplicius substantiam esse ingenerabilem, quatenus caret contrarietate; esse verò generabilem, quatenus habet contrarietatem. Vnde cum substantia, cui competit generatio, sit substantia composita, hanc dicit ingenerabilem, quantum ad materiam, cui nihil est contrarium; generabilem autem, quantum ad formam, quæ habet contrarium. Quare Simplicius habet hanc propositionem: quòd non cadit generatio, aut corruptio, vbi non est contrarietas, pro axiomate certissimo. Ioannes verò Grammaticus contra Proclum ratione 8. cap. 3. vult ostendere non esse verum quicquid fit ex contrario fieri. Si enim, ait, res statuatur ita se habere, nõ erit generatio, neque substantiarum, neque multorum accidentium; quia substantiæ nihil est contrarium, similiterque nihil est contrarium triangulo, circulo, aut figuræ; in figuratum enim est priuatio, non contrarium. Ne autem inducant hæc Ioannis dicta aliquam difficultatem. Aduertendum est, quòd fit substantia composita, & non fit ex nihilo, sed fit præsupposita materia, & fit ratione contrarietatis, quæ est inter formas: quæ quidem formæ sunt illæ, quæ in omni generatione simpliciter, transeunt de non esse ad esse, & quantum ad essentiam, & quantum ad existentiam; cum materia solùm habeat hunc transitum, quantum ad existentiam. quod quidem adeo valet, vt propterea non bene dicatur generari forma, sed oporteat dicere generari compositum. Quòd postea dicit de accidentibus, nihil est. nam sufficit accidentia habere contrariam priuationem, quæ existit existentia subiecti illorum,

Simplicius 2. Physicor. com. 11.

Ioãnes Grammatic. contra Proclum.

Dicta Ioãnis Grammat. declarantur.

quod est ens actu: & accidentia, quę generantur, & corrumpuntur naturaliter per veram transmutationem, non generantur, & corrumpuntur primò, nisi consecutiue ad substantiam: cumque generantur, & corrumpuntur secũdum contingentes alterationes, non generantur, & corrumpuntur, nisi per actionem primarum qualitatum. Est autem obseruandum id, quod infra dicetur, & erit, quod ex parte principij materialis satis est pro substantiarum generatione contrarietas priuatiua, sed ex parte principij efficientis requiritur contrarietas positiua. Nunc autem sumus in hac causa effectiua; quia ignis agendo in aquam, eam debet corrumpere, & ex ea ignem generare, vnde sumus in contrarietate positiua, non priuatiua. Non quæro, quæ dicat Ioannes contra seipsum, & ibi contra Proclum, loquens de generatione ex nihilo; quia forma fit ex nihilo: & in primo de Generatione com. 60. quod est super tex. 18. Hoc solùm volui accipere, quòd ipse, & Simplicius dicunt: vbi desit contrarietas, ibi deesse generationem, & corruptionem, quod mihi valeat ad constituendum, argumentum istud à nobis positum esse maximè firmum, & iudicio meo demõstratiuum, nisi inueniatur aliquis modus, aut constituendæ contrarietatis inter elementa, quæ non sit inter formas, & possit esse causa corruptionis, aut excogitetur noua aliqua ratio corruptionis eorum. De qua re infra dicetur in proprio capite. Altera igitur argumentatio, quæ idem demonstret erit talis. Si forma, & priuatio sunt principia rerum naturalium, oportet primas formas substantiales, quæ sunt in natura esse contrarias: Sed priuatio, & forma sunt principia rerum naturalium, ergo oportet primas formas esse contrarias. Consequentia quantum ad id, quod dicitur: oportet primas formas, sic ostenditur; quia natura principij continetur, & apparet maximè in ijs, quæ proximè ex principio cõstituuntur. Quare hanc formæ, & priuationis primam oppositionem oportet maximè repperiri in primis compositis naturalibus, quæ sunt quatuor elementa. Quãtum ad aliud, quòd

In generatione cur necessaria contrarietas positiua.

Secũdum argumẽtum ad probandum, formas elemẽtorum esse cõtrarias.

Priuatio non existit sua vi, nec vi materiæ.

scilicet oporteat hac ratione illorum formas esse contrarias, ostenditur hoc pacto. Priuatio debet existere: non existit sua vi, vt patet; quia priuatio de se est non ens: non vi materiæ; quia materia expectat existentiam ab alio, à forma scilicet, vnde non potest illam tradere priuationi, quam per se ipsam non habet, ergo relinquitur vt existat vi formæ, quam sibi coniungit. Priuatio igitur, quæ sit verè priuatio alicuius formæ illa est, quæ extremè, quantum rei natura patitur, distat ab ea forma, cuius est priuatio; quia priuatio includit in sua formalitate carentiam omnimodam. carentia autem talis non est, nisi cum altero extremo: quæ verè extremè distant in eodē genere illa sunt contraria, quare oportet primas formas habere oppositas extremas priuationes, quæ non erunt extremæ, nisi cum extrema formali contrarietate. Vnde consequitur, primas formas debere esse contrarias. Hac eadem ratione; quia priuatio coniungit sibi formam, in secundo Physic. tex. 15. dicitur, quòd priuatio est quodammodo forma. Sed præter hoc, est Arist. ipse 2. de Generatione tex. 32. id expresse constituens vbi habet: *Priuatio est alterum contrariorum*. Sic ibi arguebat contra Anaximandrum. Si fieri nequit, vt priuatio, & forma sint in eodem, impossibile est, contraria esse in eodem; quia priuatio est alterum contrariorum. Quod vt bene intelligatur, sententia illius loci parum est euoluenda. Ponit Anaximander corpus ante elementa, quod ad ea medium vocat. Ait Aristoteles. Quod fit, ex contrario fit: ex medio illo corpori fit ignis, qui calidus est, ergo oportet ibi esse frigidum, ex quo fiat. Poterat quis dicere: Id quod fit, fieri ex priuatione, ait Philosophus: Priuatio est alterum cōtrariorum; quia priuatio non est sine forma, & non potest vna priuatio esse priuatio vnius formæ, & adiungi alteri formæ, nisi illa forma, cui adiungitur sit contraria illi alteri. Sic itaque liceret inde arguere. Fiunt simplicia vicissim præsupposita materia, ergo oportet illorum priuationes vicissim in materia præexistere: At priuationes dicūt formas appositas, ergo

Locus in tex. 32. lib. 2. de Generat. declaratur.

oportet,

oportet, vnamquamque formam eorum habere aliam formam sibi oppositam, vel simpliciter vt ignis, & aqua, vel secundum quid, vt ignis, & aer: omnino oportet, vt includat quouis pacto oppositionem. Quod profectò nõ surdis conclamat Philosophus, dum in constituendis elementis nihil aliud proponit, quàm materiam & cõtrarietates. Hoc idem, quod nos dicimus ex Aristotele, de coniunctione priuationis cum contrarietatibus, dicit & Auerroes ex Arist. 2. Phys. 14. ibi enim habet: quòd priuatio, quæ est in prima materia, non denudatur à primis contrarietatibus, quæ sunt quatuor qualitates. Hæ sunt rationes, quæ nobis sufficiunt, & putamus, quòd etiam sufficiant alijs. Dicent fortè aduersarij. Forma, & priuatio sunt etiam in mistis, ergo etiam formæ mistorum debent esse contrariæ formæ. Supra dicebam, quòd & hæ sunt contrariæ inter se, immo dupliciter sunt contrariæ. Primò inter se, vt medium medio: qua ratione dicitur nutrimentum in principio esse contrarium nutrito. Secundò sunt contrariæ, vt temperatum, & mediocre excedente formis elementorum: ex quorum temperamento cum resultent, ideo dicuntur non esse contrariæ, sed habere contrarietatem; quam (vt dixi) habent eo modo, quo medium ad extrema, postquam ex horum mistione nascuntur. Hactenus verò solùm habemus contra Latinos, quòd formæ elementorum debeant esse contrariæ. Concedet autem id Auerroes, tamen negabit, quòd debent esse primæ qualitates. Quòd igitur hæ formæ debeant esse primæ hæ memoratæ qualitates, & nihil aliud, ita ostenditur. Contraria per se sunt actiua, & passiua, ergo si sunt contrariæ formæ; quia sunt in eadem materia, per se sunt actiuæ, & passiuæ: Primum actiuum, & passiuum, quod est in natura sunt hæ qualitates, ergo formæ istæ sunt qualitates, & nihil aliud. Nec dicant, quòd sunt primum instrumentarium, non primum simpliciter; quia Arist. 2. de Generatione, & vbique semper ponit eas primum actiuũ simpliciter, nullo vnquam modo, & nullibi eas proponit, vt instrumenta; nisi vt diximus

Formę mistorum sunt contrariæ inter se dupliciter.

Formæ elemẽtares sunt primę qualitates.

Primæ qualitates non ponunt ab Arist. vt primũ instrumentariũ, sed vt primũ simpliciter.

mus de Ioanne Grammatico. Oportet profectò ſimplicia corpora ſublunaria à Cœlo ſubſtantialiter diſtingi, quatenus ſint ipſa generabilia, & corruptibilia, Cœlum ingenerabile, & incorruptibile, quare oportet hæc formari ijs formis, in quarum ratione ſit ratio generabilitatis, & corruptibilitatis, quæ ratio nullibi poteſt reperiri, præterquam vbi eſſentialiter ſit eſſe actiuum, & paſſiuum. quod (nedum Ariſtoteles) natura ipſa reclamat, alicubi prius eſſe, quàm in iſtis qualitatibus. Nec dicant, quòd Ariſtoteles circumſcribit; nam illud, quod iactant, circumſcriptiuè, remouebitur. Dicant autem ipſi, quam aſſignabunt operationem diſtinctam à qualitatibus, per quam hæ aliæ formæ poni debeant? Et præterea, ſi volunt aliqui illorum formas habere eaſdem conditiones contrarietatis, & eius, quod conſequitur contrarietatem, quas habent qualitates? quid oportet entia ſine vlla neceſſitate multiplicare? Eſt autem clarum, quòd primæ contrarietates, quæ formant elementa, ſunt iſtæ qualitates ex tex. 6. 2. de Generatione, & nullibi vnquam prȩter iſtas qualitates aliquid aliud eſt commemoratum. Gloſæ verò aduerſariorum ſunt nullius momenti, vt dicetur in ſequenti conſideratione.

CAP. QVINTVM.

Varij modi dicendi circa formarum elementarium corruptionem, exponuntur.

Auerroes vult formas elemẽtorum corrũpi ad corruptionem qualitatum.

VARII modi fuere inuenti, ſecundùm quos dici poſſit has formas corrumpi. Auerroes, qui (vt dictum eſt) fuit multum varius; licèt tenendo formas elemẽtorum eſſe contrarias, poſſet euadere argumentum; tamen 8. Metaphyſices com. 5. ſtatuit ipſas formas corrũpi ad corruptionem qualitatum, quod eſt corrumpi ratione contrarietatis conſequentis; quia qualitates ſint illarum proprietates: vt

in

in exemplo. Caliditas ignis, vt talis caliditas, est ipsius proprietas, vnde ad illius corruptionem fit corruptio formæ. Quod quidem Auerrois dictum multipliciter est reprehendendum. Primò est illi oppositum dictum Auicennæ in sua Logica parte prima, asserentis rem non corrumpi, quia proprietas corrumpatur. Et hoc est optimè constitutum; quia quamuis realiter non detur forma sine proprietate, tamen proprietas per intellectum potest separari à forma, & forma integra remanebit. Hoc est dictum Græcorum in Prædicabilibus, & est dictum verissimum; quia proprietas non est de rei definitione, sed prædicatur de subiecto in secundo modo dicendi per se, vnde cum non sit de definitione, nihil vetat remoueri proprietatem, & remanere substantiam. Male igitur Auerroes, quòd corrũpatur per corruptionem proprietatum, qui modus corrumpendi hoc absurdum inducit, quòd prius corrumpatur ad corruptionem posterioris. Et dicat mihi Auerroes. Dicit ipse (vt statuunt eius sequaces) dimensionem interminatam, quæ est in materia, ideo esse æternam; quia est in materia ante contrarietatem: Ergo secundum Auerroes etiam formæ elemẽtorum, si sunt in materia ante contrarietates, debent esse incorruptibiles. Sed prçterea hic modus corruptionis harum formarum, de quibus loquimur, per corruptionem scilicet illarum proprietatum, ita etiam facilè remouetur. Omne quod corrumpitur, debet habere causam corrumpentem, vt habemus 8. Physic. tex. 13. Quero igitur, hanc causam corrumpentem; veluti quç sit causa corrumpens formam ignis, dum corrumpitur ipsa caliditas, vel est ipsa illa caliditas, quç dum corrumpitur, secum corrumpit formam, vel est frigiditas aquç, quç corrumpendo caliditatem ignis corrumpit substantiam ignis, & ipsam formam. Non potest dici, quòd sit caliditas ignis; quia non habet contrarietatẽ cum forma ignis: & prçterea est accidens, quod est posterius ipsa forma, posterius verò causatur à priori, non est causa illius vllo modo, aut essendi, aut non essendi. Non potest etiam dici, quòd causa

Confutatur Auerr. Auicennas. Res non corrũpitur, quia pprietates corrumpantur.

Falsum est, formas elemẽtorum corrũpi ad corruptionem caliditatis &c.

Frigiditas aquę, si est accidens, non potest corrumpere ignem.

causa corrumpens sit frigiditas aquæ, quod sic declaratur. Istud potest intelligi duobus modis. Vno modo, vt frigiditas aquæ, quæ est accidens, corrumpendo caliditatem ignis, corrumpat simul formam, & substantiam ignis virtute propria: & tunc sequetur, quòd accidens erit causa effectiua virtute propria ad corrumpendam substantiam, & ad generandam substantiam. Ad corrumpendam quidem substantiam; quia frigiditas aquæ corrumpit substantiam ignis. Ad generandam substantiam; quia dum corrumpit substantiam ignis, generat substantiam aquæ. Vel dici potest, quòd hoc non facit virtute propria, sed virtute formæ ipsius aquę, quæ vtitur illa tanquam instrumento ad operandum; adeo vt hæc corruptio fiat hoc pacto. Forma aquæ agit in ignem per frigiditatem, tanquam per instrumentum, & corrumpit caliditatem ignis, quæ est instrumentum formæ ipsius ignis: Ad hanc corruptionem instrumenti, sequitur corruptio formæ. Multa sunt hic dicenda. Primò fit, vt proprietas euadat instrumentum. Deinde ad corruptionem instrumenti non corrumpuntur formæ, quod facilè cognoscimus; quia oculus est instrumentum visiuæ, & corrupto oculo non corrumpitur visiua; vt habemus in 1. de Anima tex. 66. vbi dicitur, quòd si senex acciperet oculum Iuuenis, videret vt Iuuenis. Tertiò instrumentũ non agit, nisi quatenus mouetur à principali agente. Frigiditas igitur aquæ non potest agere, vt instrumẽtum formæ eiusdem aquæ; quia si forma non habet contrarium, nullam habet actionem. etenim ex primo de Generatione: Omnia, quæ agunt, & patiuntur, aut sunt contraria, aut habent contrarietatem. Cum igitur forma aquæ nullo modo contrarietatem includat, nullo modo potest agere: Quòd si instrumentum nihil agit, nisi motum à primo agente, non poterit aquæ frigiditas dici actiua tanquam formę instrumentum. Si dicant, accidens corrumpere posse substantiam mediante corruptione accidentis, & consecutiuè, aduertant; quòd id, quod corrumpitur consequutiuè ad aliud, dependet ab illo. quare sic oporteret substantiam

Forma nõ corrũpit ad corruptionẽ instrumenti.

Accidens non potest corrumpere substantiam mediãte corruptione accidentis, & cõsecutiuè.

ſtantiam dependere ab accidente. Dicet aliquis me velle decipere; quia repræhendo Auerroem, tamquam ponẽtem formas innominatas non eſſe contrarias, cùm tamen ipſe ponat eas contrarias. Nolo autem decipere, tum; quia (vt dixi) Auerroes eſt multum varius; quia hoc loco, in quo verſamur ſupponit non eſſe contrarias. Sed quærat vlterius. Si ponantur contrariæ formæ, quid dicetur? hoc nimirum. Illa forma contraria, quæ habet vim agendi ſic, vt eius virtute agat caliditas ad deſtruendam cõtrariam formam, tanquam illius inſtrumentum, poſtquam eſt illa, quæ mouet, putà caliditatem ad agendum, tanquam proprium inſtrumentum, non mouet certè illam, niſi quatenus agit ſimili actione calefactiua. Si igitur illa forma eſt calefactiuè actiua, quid differt à caliditate? cur neceſſe eſt tot actiua multiplicare? eſt ne vis calefactiua ante caliditatem? videtur Platonicum iſtud, ſed illud Platonicum habet aliam rationem, neque caliditas proueniens à vi calefactiua, eſt accidentalis, ſed ſubſtantialis ad ignis conſtitutionem. Fuit inuentus alius modus dicendi, de quo etiam Simplicius aliquando meminit; quòd ſcilicet formæ habent contrarietatem, quatenus in vna, includitur priuatio alterius. Pro quo modo reprobando, oportet intelligere, quòd corruptio duas cauſas primò reſpicit, materialem, & effectiuam. Quantum ad cauſam materialem pro corruptione facienda ſufficit, quòd forma habeat contrariam priuationem. Quantum verò ad cauſam efficientem, talis contrarietas non ſufficit; quia oportet ibi eſſe actionem, & priuatio nihil poteſt agere. Vnde Philoſophus 2. Phyſic. tex. 15. cùm propoſuiſſent in 1. libro tria illa principia, materiam, formam, & priuationem, proponebat queſtionem reſoluendam in 2. de Generatione, quæ erat: Vtrum priuatio ſatis eſſet pro generatione, & corruptione; an etiam aliquod contrarium requireretur, quod poſtea fuit dictum requiri; quia requiruntur iſtæ contrarietates harum formarum, ſine quibus nulla eſſet generatio, & corruptio. eſt enim omnis generatio, & omnis corruptio per

Simplicius.

Aliqui aiunt, formas habere cõtrarietatem, quatenus in vna includitur priuatio alterius.

Confutantur. Nõ ſufficit cõtrarietas priuatiua, pro cauſa effectiua corruptionis, ſed neceſſaria eſt poſitiua.

actionem, & passionem, quæ requirunt contrarietatem positiuam, vt habetur 1. de Generatione capite de tactu. Et præterea, si omne agens in agendo repatitur, non potest esse actio, qualem nunc proponimus inter formam, & priuationem; quia priuatio nihil potest reagere. Quòd autem ad corruptionem, non sufficiat contrarietas priuatiua, facilè Auerroistis ostēdi potest, ex iam dictis de suis ipsorum dogmatibus. Ponunt ipsi dimēsionem in materia ante formam: peto. Ista dimensio, vel habet contrariam priuationem, vel non. Si non habet, ergo priuatio non est principium commune; vt est materia, cum qua tamen dicitur esse idem numero. Si habet, & contrarietas priuatiua sufficit ad corruptionem, sequitur quòd illa quantitas sit corruptibilis. Adiungatur, si contrarietas priuatiua sufficit ad corruptionem, Cœlum secundum Auerroem poterit corrumpi; quia potest quiescere 10. Metaphysic. 41. Si ergo motus Cœli habet quietem oppositam: vt est de motu, ita de natura, per Aristotelem in tota disputatione de quinto corpore, ergo natura Cœli habet priuationem oppositam, ergo est corruptibilis. Noui, quid dicat Zimara, & noui, quid sit in hac re tenendum. Sed hæc pono, vt ostendam principiorum, quibus hi philosophantur, inconstantiam. Vnde ista contrarietas existens inter formas; quia in vna includatur priuatio alterius, non est sufficiens ad id, quod nunc quæritur de elementorum corruptione. Præterquam quòd ego libenter discerē, quomodo possit vna forma includere priuationem alterius, si natura istarum formarum secundum se, non est cum aliqua contrarietate. Alij confugiunt ad contrarietatem virtualem; quæ quidem nihil est diuersum, & sic contra illam dici potest. Declaratur autem hoc modo; quòd scilicet contrarietas dicitur virtualis inter formas, quatenus in vna includitur priuatio alterius. Sed non sufficit ad agēdum hæc contrarietas, vt habetur in capite de tactu 1. de Generatione. Requiritur quippe tactus ad agendum: Tactus conuitij, qui est tactus virtualis, dicitur æquiuocè tactus, & excluditur

Ad corruptionem, non sufficere contrarietatem priuatiuā, probatur.

Contrarietas virtualis ab aliquibus posita in formis, reprobatur.

cluditur longo interuallo à tactu, ad quem actio consequitur, ergo nec contrarietas virtualis valet ad agendum. Deinde hæc contrarietas virtualis, videtur esse contrarietas indeterminata; neque enim assignabunt per quid determinetur, nisi recurrant ad essentiam formæ: Tunc autem sequitur esse contrarietatem actualem in formæ essentia. Si autem talis contrarietas indeterminata sit principium actionis, sequetur, quodlibet posse agere in quodlibet. Nolo, quantum in me sit, aliquid prætermittere, quod videatur requirere particularem declarationem; vt res benè explicetur, & ingenia ad eam diligenter reuoluendam excitentur. Dubitat igitur Arist. in libro de Longitudine, & Breuitate Vitæ: Vtrum sit aliquis locus, vbi res, alioquin corruptibilis, possit seruari, ne corrumpatur: & inducit ad quęstionis explicationem ignem propè concauum orbis lunaris, vbi non habet contrarium. Ponit autem primò duplicem interitum, vnum per se, alium per accidens. Interitus per accidens est, quando aliquid interit ratione pręexistentis intereuntis, veluti intereunte humido, cui inest dulce, interit dulce. Interitus per se (ait Philosophus) est contrariorum, nam contraria per se interimunt se mutuo. Deinde arguit, quòd ignis non possit corrumpi in illo concauo orbis lunaris; quia nihil ibi habet contrarium, omnis autem corruptio est à contrario. Et hoc quod de igne dicit, vult similiter haberi etiam de alijs; quòd scilicet si fuerint, vbi non habeant contrarium, erunt incorruptibilia. Michael Ephesius, accipit solutionem eius dubitationis hoc pacto. Ait, verum esse, quicquid corrumpitur à contrario corrumpi, & inuenit contrarietatem in illo igne, ratione cuius debeat corrumpi. Est autem contrarietas, quòd materia illa in elemento sic composito exercet pugnam, per quam possit corrūpi. Et ait, quòd, cum materia sit nacta illam qualitatem, illa qualitas, quę includit priuationem aliarum formarum, certat conuertere in se formam, qua afficitur, tanquam illam, quæ ipsam cogit manere in priuatione aliarum: & forma vicissim, tētat illam

Locus Arist. in lib. de Longitudine, & Breuitate Vitæ declaratus.

Michael Ephesius, quomodo soluat dubitationē Arist.

qualitatem in se conuertere. Vnde sequitur necessariò, vt ignis extinguatur, superata illius forma à qualitate ista materiæ illius, quæ ex potentia proxima quam habebat ad esse ignis, transiuit in potentiam ad aerem, aut quoduis aliud. Putat Ephesius hanc esse Aristotelis solutionem, quod accipit ex verbis Philosophi, quæ habent: *Quoniam fieri non potest, vt quod materiam habet, non aliqua ex parte contrario tentetur*. Et sic apud Ephesium, in vnoquoque composito ex materia sublunari est contrarietas, quæ est causa corruptionis. Fecit hic locus Aristotelis circa corruptionem ignis in Lunæ concauo varias opiniones. Alij eam, vt Iandunus, & plerique Latinorum ad constellationem referunt frigidam, & ideo virtute contrariam. Alij ludunt super dictis Ephesij, & dicunt illum ignem corrumpi; quia illius materia, vt etiam aliorum omnium sublunarium, habet adnexam priuationem, quæ machinatur ad maleficium. Addunt aliqui, quòd corrumpitur ille ignis ratione vacui, vel ratione raptus cœlestis detrudentis partes infra: Quæ nunc non sunt nostræ considerationis. Puto ego esse communem errorem in expositione eius loci, quòd dirigunt seriem textus ad explicationem huius quæstionis, quomodo ignis in concauo Orbis Lunæ corrumpatur, cùm quęstio exponenda, sit vniuersalis, & præcipuè ob viuentia inducta, de quibus dixerat Philosophus in 1.cap.quòd alicubi diutius, alicubi breuius viuunt. Vnde si locus facit ad diuturniorem vitam, quæritur: Vtrum possit esse aliquis locus, in quo viuentia non moriantur: Propter hoc dubitatio inducitur, & ad illius euidentiam ignis proponitur. Quare non est; cur ad id retrahamus solutionem, quod ad euidentiam est inductum in quęstione. Inde fit, vt difficultatem maximam in verbis inueniant, & rem ipsam potius inuoluant, quàm explicent. Habet igitur resolutio aliqua vniuersalia, quę sunt applicanda viuentibus, & hac intentione proponuntur; sed tamen etiam igni accomodantur: Habet alia particularia de ipsis viuentibus, quæ, dum etiam isti ad ignem volunt deducere, expositionem

De corruptione ignis in Lunę cōcauo varię opiniones.

nem

nem confundunt, & Aristotelem etiam confusum reddunt. Sed hoc alias erit considerandum, nunc sumus in alio proposito. Id quod dicit Ephesius de illa qualitate antecedente, hoc pacto est considerandum. Si vult intelligere disgregationem, aut congregationem materiæ, quod alij rectius referunt ad corporis molem, nihil repugnamus, modò illa prioritas sit tantum prioritas naturæ. Quomodo verò per hanc, siue quatenus includat priuationem, siue aliter, possit esse actio, non video. Sicuti quomodo, si est similis illa qualitas, qualiscunque sit, formæ ignis, & illius conseruatiua, inter ipsam, & formam fiat actio, & passio corruptiua, non satis intelligo. Esto tamen bene dictum, sufficit nobis, quòd non potest esse corruptio sine causalitate effectiua, quæ ibi nulla est; quia efficiens est extrinsecum. Et quamuis concederetur (vt petit Ephesius) esse in rebus secundum se acceptis aliquam causam corruptionis; non tamen illa sufficit ad corruptionem, quæ sine efficiente distincto nequit fieri. Vnde licèt sint illa omnia ex parte materiæ, tamen requiritur aliud efficiens extrinsecum, & in hoc oportet esse contrarietatem. Quòd verò hoc efficiens requiratur habens rationem corruptiui, Aristoteles ibi ostendit, vbi proponit, tanquam corruptiua viuentis continens excrementum difformitatem in partibus & similia. Clarè autem id habetur 8. Physic. tex. 13. Omnino verò sit ista contrarietas Ephesij: Nescio, quomodo possit esse actiua, & passiua, sine qua actiui, & passiui conditione non est corruptio: Nescio, inquàm, quomodo possit esse actiua, & passiua, postquam actio, & passio primò, est in quatuor qualitatibus, calido, frigido, humido, & sicco. Quocirca pro corruptione elementorum; neque etiam ad hanc intrinsecam contrarietatem recurri potest.

Expenduntur dicta Michaelis Ephesij.

CAP. SEXTVM.

Conſiderantur Diſpoſitiones accidentales prauiæ ad Formas ſubſtantiales Elementorum, ratione quarum formæ ſint corruptibiles.

EST alter modus dicendi de corruptione elementorum, qui fuit antiquorum Latinorum, & eſt receptus ferè ab omnibus poſterioribus. Hunc poſuit Zimara in contradictione 2.4. de Cœlo, & eſt talis: Quòd iſtæ formæ corrumpuntur propter diſpoſitiones, quæ illas in materia antecedunt; quæ quidē diſpoſitiones non aliter ſunt, quàm ſecundum iſtas qualitates. In exemplo: Materia diſponitur ad formam ignis per caliditatem, ad formam aquæ per frigiditatem, & ratione iſtarum diſpoſitionum, dicunt, ipſas formas; licet non ſint contrariæ, tamen intendi, & remitti, propter quas etiam hæ qualitates dicuntur cauſæ elementorum, & propter eaſdem dicunt formas elemētorum corrumpi. tales enim diſpoſitiones antecedunt formas ſubſtantiales, tanquam neceſſariæ ad hoc, vt ipſæ in materia introducantur. Vnde fit, vt diſpoſitione ad formam ignis, quæ eſt per caliditatem, remota, ignis neceſſariò corrumpatur.

Modus Zimaræ circa corruptionē elementorum.

Diſpoſitionū in materia neceſſitas ſecundum Zimarā declaratur primò.

Quòd igitur in materia prima pro formarum receptione requirantur antecedētes diſpoſitiones, ideo credi poteſt; quia materia prima de ſua natura eſt prorſus indifferens, & indeterminata, quare oportet, vt determinetur per aliquid ad formam, quæ eſt quid determinatum; id autem ſunt iſtæ diſpoſitiones. Et hoc videtur rectiſſimè ſtatui, ac veluti ſecundum naturæ ordinem, quæ ab vno in aliud per mediū tranſit: ad miſta perfecta, per imperfecta: ad animalia, à plantis per Zoophita, quare & ſic videtur rationabile, vt à materia ad formam tranſeat mediantibus ſuis diſpoſitionibus; tanquam ab eo, quod eſt penitus indeterminatum, ad id, quod

eſt

est penitus determinatum: ac si hæ dispositiones sint, vti medium copulans materiæ formam. Secundò videntur ponendæ hæ dispositiones; quia omnium natura constantium est determinata ratio magnitudinis, & paruitatis, & omnia natura constantia certas habent qualitates, quare videtur ad formam, per quam naturalia consistunt, materiam esse disponendam, tum per qualitatiuas, tum etiam per quantitatiuas dispositiones; quod & Ioannes Grammaticus obseruabat 1. Physic. com. 42. Addatur tertio, quòd scribit Arist. tex. 24. 2. de Anima: *Actus actiuorum sunt in patiente, & disposito*, & quod scribit tex. 26. defecisse Antiquos, qui non dixerunt, in quod corpus anima recipiatur: quandoquidem non in omne indifferenter, sed in tale eam recipi oportet. Dicunt itaque, dispositiones accidentales antecedere tempore in materia receptionem omnium formarum substãtialium in eadem materia. Vt autem, & nos parum contra dubitemus. Si mutemus quæstionem, veluti dicebat Aristoteles 8. Physic. tex. 68. & quæramus, quomodo materia determinetur ad illas dispositiones, quid dicent, quod & alij non possint dicere de illius determinatione ad formas substantiales? eò magis, quia materia prima magis proximè, & magis propriè se habet ad formas substantiales, cum sit illarum proprium subiectum; ad accidentia verò paulò remotius, cum non sit subiectum accidentium, nisi vt est formata. accidentis enim esse, est in esse substantiæ compositæ. Sed respondeamus singulis dictis istorum. Primum, quod attinet ad indeterminationem, sic resoluimus. Quæ in natura sunt, aut sunt simplicia corpora, aut mista. Et de simplicibus duplicem possumus accipere generationem, vnam per intellectum; quatenus primò sint generanda, aliam realem; quatenus vnum in aliud transmutatur. Quantum ad primam generationem, determinatur materia ex proportione efficientis ad ipsam formam. quod enim est cœlo propinquum; quia motui est contiguum, ideo oportet segregari, & calefieri, quod est ignem euadere; illud verò, quod à motu

est

Declaratur secundò.

Declarat' tertiò.

Dubitationes contra dispositiones.

Solutiones ad rationes pro dispositionib.
Solutio primæ rationis.

eſt remotum, oportet congregari, condenſari, & ſiccitatem acquirere cum frigiditate, quod eſt in terram conuerti: & ſic ex vario materiæ ſitu ad ipſum efficiens, fit determinatio. Quantum ad mutuam tranſmutationem determinatur pariter materia à facultate agentis, quatenus vincit reſiſtentiam paſſi. In miſtis paulò aliter; determinatio enim fit partim ab agente, partim ex temperamento qualitatum elementarium, prout aliud temperamentum requirit aurum, aliud argentum, aliud os, & aliud caro. pro varietate enim, qua temperantur ſimul prima corpora, acquirit materia determinationem ad eſſe huius, aut illius miſti. Neque in his dictis eſt aliquid contra naturæ conſuetudinem. Dicunt iſti naturam tranſire ab extremis per media, illud concedimus, & in omnibus generationibus propoſitis id ipſum optimè conſpicitur. In generatione quidem elementorum; quia non fit momento tota forma, ſed per partes, & per gradus; ita vt primus gradus, qui eſt imperfectio quædam eiuſdem formæ, ſit medius inter eſſe formæ perfectum, & eſſe materiæ. Similiterque in generatione miſtorum: actus enim antecedens, qui eſt cum imperfectione, eſt medius inter materiam & vltimum eſſe formæ compoſitum complentis. Si autem volunt iſti diſpoſitiones accidentales eſſe veluti mediũ, quo forma vniatur materiæ; ita vt ratio coniunctionis materiæ cum forma, ſit poſita in iſtis diſpoſitionibus, vt velle videntur: Quam latè delinquunt! Adeant primò tex. 65. 1. Phyſicor. Habet ibi Philoſophus, loquens de principijs; materia ſcilicet & forma, hæc verba: *Manifeſtum igitur eſt: quòd ſi quidem ſunt cauſæ, & principia eorum, quæ natura ſunt, ex quibus primis ſunt, & facta ſunt, omne quod fit, ex ſubiecto, & forma fit.* Vult ibi Philoſophus immediatè ex materia, & forma conſtitui naturalia compoſita. Quod certè ſimul ſtare non poteſt, cum hoc, quod iſti dicunt; qui præter principia ab Ariſtotele inuenta inueniunt hoc principium diſpoſitiuum diuerſi generis; & accidentarias qualitates, pro elementis generandis, proponunt tempore antecedentes com-

Perpenditur tex. 65. 1. Phyſicor.

Naturalia corpora, fiunt immediatè ex materia, & forma.

compositionem materiæ, & formæ: Quòd, si in istis dispositionibus sit ratio coniunctionis, vt ipsi putant, quomodo erit verum, quod dicitur 2.de Anima tex.7.non esse quęrendum, quomodo ex materia, & forma fiat vnum. si enim nihil de hoc quærendum est, non oportet talem vllam coniunctionis rationem intercedere. Quod attinet ad secundum, vbi dicebatur, omnium natura constantium esse determinatam rationẽ magnitudinis, & paruitatis: & ex Ioanne Grammatico adducebatur, materiam requirere certam qualitatem. Illud quidem est verissimum, sed ab Aduersarijs malè intellectum. Cum dicit Ioannes requiri dispositionẽ qualitatum, loquitur de mistis, vt apud ipsum licet videre; dispositio autem non aliter est, ac supra dictum fuerit ex temperamento qualitatum elementarium. Eodem modo verè etiam dicitur de quantitate, immo requiritur certa quantitas dupliciter. Primò (vt sic loquar) intensiuè. Exempli gratia: materia ignis debet esse summè extensa in raritatem: materia terræ summè conglobata in dẽsitatem, quod ab Antiquis in magnum, & paruum referebatur. Secundò requiritur extensiuè; quia nõ in qualibet mole potest esse, & conseruari quælibet forma: veluti non forma equi in magnitudine formicæ, non formicæ in magnitudine equi. Sed quandò hoc dicitur, non propterea dicitur antecędere tempore quantitatem, sed simul fit ab agente, & quantitas talis, & forma talis: Et solùm prius natura fieri intelligitur quantitas, quatenus dicit conditionem materiæ, & consequitur illius extensibilitatem, sed per se primò agens formam complet, vnde etiam quantitas habet complementum. Forma igitur ignis non recipitur nisi in materiam maximè disgregatam: & hoc est, quod dicunt Græci, antecedere corpus exquale, & terdimensum, quod vocant secundum subiectum; id autem nihil aliud est, quàm dicere, quòd antecedit materia in molem dimensionum extensa. Hoc tamen est aduertendum, quòd non antecedunt hæ dispositiones tempore, sed natura, & fiunt in materia simul cum forma, & prout in ma-

Declaratur loci in tex. 7. 2. de Anima.

Solutio 2. rationis.

Materia in generatione mistorum requirit nõdum dispositionẽ qualitatis, sed & quantitatis.

Quãtitas antecedit formã in materia nõ tempore, sed natura.

Corpus exquale, & terdimẽsum quid Gręcis.

teria esse intelliguntur, indeterminatæ intelliguntur; prout dicunt determinationem ad formam, sunt conditio formæ; ita vt, exempli gratia, materiæ disgregatio simul fiat cum forma, & successiuè, quantum fit de illa, tantum fiat & de forma; licet dispositio talis intelligatur esse prior natura, quatenus ad materiam pertinet. In mistis autem generandis, si aliquis vocet illud temperamentum, quod diximus, præuiam alterationem, nihil repugno: quod quidem dicatur alteratio facilè consentio; quia mistio est miscibilium alteratorum vnio. quatenus enim differentiæ istæ elementorum substantiales mutantur secundum magis, & minus, alteratio est. Quòd dicatur præuia, similiter non repugno; intelligendo, secundum naturam: ita tamen, vt simul tempore cum illa intelligatur esse misti generatio, quæ per se formam respicit. Est autem illud temperamentum relatum ad formam misti, velut materia: relatum ad materiam, est aliquis actus; ita vt mistum habeat formam in materia prima compositam ex hoc duplici gradu actualitatis; sic tamen vt postremus gradus sit vltima differentia, & ex illo sit esse misti. Quòd tertiò adducitur ex 2. de Anima tex. 24. nihil facit ad hoc propositum de præuijs dispositionibus accidentalibus. Ait ibi Simplicius, Aristotelem, cum dixisset sanitatē, & scientiam esse actus susceptiuorum, explicare quidnam sit illud, quod est susceptiuum, & dicere hoc esse illud, quod potētiam habet ad formam cuius dicitur susceptiuum; vt sanabile ad sanitatem, scientiale ad scientiam. Dixisset verò aliquis: Quomodo dicimur sani propter sanabile, & sciētes propter scientiale, si sanabile, & scientiale dicunt solùm potentiam ad sanitatem, & scientiam? Id explicat Philosophus per illa verba: *Videtur enim in patiente, & disposito inesse actus actiuorum.* Et vult dicere, quòd sumit ista iam disposita per actus actiuorum, & secundum rem receptam iam determinata. Notum enim est, quòd actus actiuorum sunt in patiente, non solùm si rememoremus, vt faciunt Ioannes Grammaticus & Themistius dicta in 3. Physic. à tex. 18. sed etiam, si sensui

Margin notes: Quæ sit præuia alteratio in mistorum generatione. — Temperamētum relatum ad formā misti, est velut materia; relatū verò ad materiam est aliquis actus. Solutio tertiæ rationis. — Simplicius. — Explicatur locus in tex. 24. lib. 2. de Anima.

consentiamus. Videmus enim actum sanationis, à Medico proficiscentem desinere in habitum sanitatis eius, in quem actus sanandi dirigebatur. Ita vt concludat Simplicius, patiens, & dispositum nunc vocari à Philosopho id, quod est iam affectum ipsa forma. Quocirca hoc dictum Aristotelis nihil facit ad præuias istorum dispositiones. Sed esto non velit hoc dicere Philosophus, quod Simplicius putat, sed velit declarare conditionem recipientium, vt recipientia sunt, nihil aliud dicet, quàm quòd recipientia ea sunt, quæ sunt patientia disposita ad actus actiuorum suscipiendos, idest ad formas ab illis inducendas. Id autem neque aliquid ponit de istorum dispositionibus; nam ad hoc probandum, satis est conuenientia inter agens & patiens, & proportio agendi, & patiendi, eo modo qui fuit expositus in 1. de Generatione, & Corruptione in tractatu de agere, & pati. Tandem verò videamus de eo, quod isti volunt: Volunt quippe, vt dicat Aristoteles, actus actiuorum inesse patientibus dispositis secundum has præuias dispositiones. Respondeant primò nobis. Hoc Philosophi dictum ita acceptum quodnam propositum habet eo loco? Deinde respondeant. Dicit Philosophus, vt actus actiuorum in patientibus recipiantur, requiri præuias dispositiones antecedentes; an propterea dicit Philosophus, quòd ad formam substantialem requirantur accidentariæ? Minimè omnium: Nihil magis insulsum. Si requiruntur dispositiones præcedentes, requiruntur conuenientes ad formas, scilicet substantiales, ad formas substantiales, accidentales ad accidentarias. Nescio verò, an isti benè videant, quid dicant. si enim actus agentis, vt introducatur requirit dispositionem talem præcedentem, videtur, quòd agentia præsupponant istas dispositiones. Quomodo igitur idem agens disponet materiam, & inducet formã? Sed quæramus parumper hoc pacto. Si agens non agit nisi in patiens dispositum per has præuias dispositiones, quid inducit illas? certè vel idem, vel aliud agens, qualecunque sit. Quæro: vel passum est dispositum ad eas

recipiendas, vel non. Si non est dispositum, illud agens agit in indispositum. Si est dispositum, an per alias dispositiones? Et tunc quæro idem, quod quærebam, vereorque, ne eamus in infinitum. Consideremus rem in casu, in quo sumus de elementis, quomodo se habeat materia prima, ex qua debet fieri ignis; vel est disposita ad suscipiendam caliditatem præuiam formæ ignis, vel non. Si non, quomodo eam recipit? Si est disposita, ergo per antecedentem dispositionem, & reddit argumentum. Si dicas est disposita ex natura sua, illud mihi, & Aristoteli valdè nouum, materiam primam, quæ fuit inuenta, tanquam principium substantiale compositi substantialis; esse magis dispositam natura sua ad accidentia, quàm ad formam substantialem. Quod adducitur de rephæhensione, qua corrigit Philosophus Antiquos non determinantes, quale corpus esset anima informandum, habet facilem resolutionem hoc modo. Reprehendit eo loco Philosophus Veteres, quòd non dixerint de corpore susceptiuo animæ, & benè facit. Requirit enim anima tale corpus, in quod recipiatur, sed non tale ex præuia aliqua dispositione accidentali, verum tale, ex actibus substantialibus in animatione requisitis, tanquã partibus complementum ab ea parte, quæ postremò aduenit, expectantibus. Requiritur exempli gratia tale temperamentum pro similaribus animanti partibus constituendis, & talis similarium constitutio, quæ conspiret in dissimimilare, vt desinat compositio in talem actum dantem esse toti composito, qui sit anima; quæ in hoc habet esse, vt sit actus corporis instrumentarij. Ista autem sic requisita non sunt certè accidentia; neque enim formæ elementorum sic temperatæ, nec forma misti sic proueniens, accidentia sunt; ita vt dispositiones ad formam substantialem, cùm sumus in forma composita, sic esse intelligantur, vt omnes partes actuales, quæ natura antecedunt, debeant adesse, si futura est illa forma, cuius completum esse in illa vltima parte superueniente, est constitutum. Sublatis modo istorum dictis experiamur nos, an

Respondetur cõfirmationi ex tex. 26. 2. de Anima.

an possimus etiam has dispositiones, ita acceptas, vt isti accipiunt penitus auferre. Arist. 5. Metaphysic. tex. 24. sic definiebat dispositionem: *Dispositio est ordo partes habentis.* Pro tanto itaque dicitur ante formam in materia esse dispositio secundum qualitatem, pro quanto ante illius complementum inducuntur omnia, quæ sunt pro illius complemento. Dupliciter autem forma dicitur habere partes. Vno modo, prout est composita; quemadmodum anima vegetatiua dicitur componi eo modo, quo ternarius numerus componitur ex tribus vnitatibus, ex formis elementorum, ex forma misti, & ex ipsa parte vegetatiua. Alio modo dicitur forma habere partes, quamuis sit simplex, si habet varios gradus, & varias conditiones differentiarum essentiales, secundum quarum successionem fiat in materia. Dicit igitur Aristoteles, quòd dispositio est ordo partis habentis; quia in forma introducēda oportet semper primò inducere partes antecedentes, quæ intelliguntur esse dispositiones ad complementum formæ. Vnde dispositio est in eodem genere cum forma, ad quam est dispositio. Isti secus putant; cogitant enim dispositiones ad formas substantiales esse accidentia, quod clarè, & expresè est contra hoc Aristotelis dictum. In hanc veritatem nunc à nobis prolatam deuēnit aliquando Iandunus, qui dixit 7. Physic. quęstione 8. non omnes dispositiones esse accidentia, sed esse dispositiones substantiales ad substantiam, accidentales ad accidentia. An verò dispositiones, quas isti proponunt iuxta modum, secundum quem illas intelligunt vllo modo subsistere possunt, ita facilè videri potest. Supponamus, materiam primam esse nudam ab omni forma, & Cœlum per suum motum introducere caliditatem, tanquam dispositionem: deinde ad hanc dispositionem sequi introductionem formæ. Illa caliditas dispositiua, quæ est ante formam substantialem, quæro à quo habeat existentiam. Non ab agente; quia agens non dat existentiam illis, quæ sunt in subiecto, nisi ratione subiecti, non enim potest conseruare sine subiecto; alioquin pos-

Contra dispositiones accidentarias disputatur.

Dispositio quid. Et quomodo formā in materia prȩcedat dispositiones.

Forma dupliciter dicit͛ habere partes.

Iandunus.

Examinatur sententia Aduersariorū de dispositionib. accidētalibus.

ſet etiam agere ſine ſubiecto. Non etiam à materia; quia materia de ſe non exiſtit, quare non poteſt eſſe cauſa alteri, vt exiſtat, ergo ſi exiſtit, per ſe ipſam exiſtit: & ſic ſequitur, accidens eſſe ſeparabile. Simile argumentum habet Ariſt. 1. de Generatione tex. 11. vbi conſiderans generationes rerum ex ente potentia dicebat. Si iſtud ens potentia non ſit actu ſubſtantia, & habeat in ſe actu aliquid aliorum Prædicamentorũ, ſequitur accidentia per ſe poſſe ſtare; quia idem eſt accidentia exiſtere in materia prima, & exiſtere per ſe. Similiter & ego. Si ante formam ignis in materia eſt caliditas, quæ eſt accidens, tanquam diſpoſitio ad formam ſubſtantialem ignis, cuius in ea adhuc nihil reperitur, idem erit, ac ſi dicamus, caliditatem per ſe exiſtere. Nec ſit, qui dicat nos ponere caſum, qui nunquam erit; quia materia nunquam eſt ſine forma. Nos enim imitamur Ariſtotelem, qui ſimiliter philoſophatur, & loco citato, & in 1. Meteoror. cap. 4. Ratio autem eſt; quia res non debent conſtitui eſſe factæ; niſi, prout potuerunt fieri, licet ſint factæ ab æterno, neque aliter verſamur in contemplatione, quàm quòd rem exiſtentem intellectu reſoluimus in principia, & ſic de illius generatione ſtatuimus, vt requirit conditio illorum principiorum pro illa generanda. Sed præſuppoſito etiam, quòd materia prima ſemper habeat aliquam formam, quæro ego, quid iſti poſſint dicere. Dicent profectò, quòd illa diſpoſitio accidentalis habet exiſtentiam à materia; quia materia eſt formata vna forma. Contra hoc ſic eſt dicendum. Ratio, per quam tribuitur exiſtentia illi diſpoſitioni exiſtenti, non eſt à materia, prout eſt materia; quia prout eſt materia, non poteſt tribuere exiſtentiam, ſed eſt à materia, prout eſt formata, quare forma eſt illud præcipuum, quod eſt cauſa exiſtentiæ talis diſpoſitionis, ſed forma illa eſt contraria tali diſpoſitioni; quia illa diſpoſitio introducitur ad deſtruendam ipſam formam, & introducendam formam contrariam, quare ſequetur, quod contrarium erit cauſa exiſtendi ſuo contrario, & ſic contrarium conſeruabit ſuum contrarium, &

Ariſtot. locus 1. de Generatione tex. 11.

erit

erit causa propriæ corruptionis. Præter ista, quæ dicta sunt, licet etiam apertè remouere istas dispositiones accidentales præuias (vt vocant) ad formam substantialem. Quæro enim ego. Iste motus, qui fit ab agente inducente has dispositiones accidentales, quatenus illas inducit, non est certè generatio, ergo erit alteratio, tunc infero, ergo alteratio erit circa subiectum potentia, contra Aristotelem 1. de Generatione tex. 1. tex. 23. tex. 24. Deinde istæ dispositiones sunt immediatè in materia prima, quare accidens terminatum conseruatur in materia prima. Præterea tex. 10. eiusdem 1. dicebat Aristoteles, transmutationem, quæ fit alteratio, esse circa vtrumque; materiam scilicet, & formam, hic verò ponitur alteratio circa solam materiam. Quæro insuper. Iste motus ad quid terminetur, si ad calidum esse, quod est accidens, tunc non video, quid faciant dispositiones pro forma substantiali; neque enim in via, neque in termino habentur aliquid formæ substantialis. Si ad formam substantialem, ergo motus in accidente desinit in substantiam, ergo motus in accidente est generatio; quia motus à termino specificatur 5. Physic. tex. 4. 2. Physic. tex. 14. ergo hæc dispositio faciet, non solùm alterum, sed aliud, vnde rectius colligi poterit, quòd non est per accidentia, sed per differentiam substantialem; quia hæc est illa, quæ facit aliud. Ex Prædicamentis certè habemus, quòd dispositio euadit habitus (ita Simplicius in prima specie qualitatis in fine) ergo secundum istos dispositio accidentalis euadet habitus substantialis. Sed dicent. Dispositio eo modo accepta, quem tu ponis secundum gradus formæ successiuos, dum est in tali esse, adhuc nihil constituit, ergo est & illa accidentalis. Aduertendum, quòd in ordine ad terminum est constitutiua: & sic habet esse substantiale, in ordine solùm ad materiam, vel ad corpus exquale, non est substantialis in esse, sed in fieri; nondum enim aliquid constituit simpliciter, constituet tamen progressa. Sed adiungatur pro istius dispositionis reprobatione. Vel hæc dispositio terminantur ad transitum de

Simplicius.

Instantia.

Solutio.

non

non esse ad esse formæ substantialis, qui est generatio. Et si hoc dicatur, aut intelligitur, quòd istæ transitus sit mutatio: & tunc infero, ergo motus est ad motum per se, vt ad terminum contra 5. Physic. Aut intelligitur, quòd generatio sit mutatum esse: & tunc mutatum esse substantiale erit terminus mutationis accidentalis. Aut intelligitur, quòd generatio sit motus cum alteratione cõpositus: & tunc quantum fit de mutatione accidentali, tantum fieri oportet de forma substantiali, quod non repræhendimus, nisi quatenus male intelligatur. Tandem pro conclusione huius disputationis. Si ad interitum harum dispositionum intereunt formæ, ex accidenti intereunt, vnde hæc propositio: Substantia materialis est corruptibilis, erit vera per accidens. Sic Arist. in libro de Longitudine, & Breuitate vitæ: *Quæ contrarijs insunt, ex accidenti pereunt, eo quòd illa pereant; interimunt autem contraria se mutuo.* Sed dicent alij, sic videbuntur formæ mistorum corrumpi per accidens. Aduertant, quòd casus est longè diuersus, & sciant præterea, quòd formæ compositorum, præterquam quòd habent contrarietatem; quia ex mistione contrariorum fiunt, habent etiam contrarium; quia cum includant, tanquam sui partem, illud primarum qualitatum temperamentum, sunt contrariæ inter se, vt medium est contrarium medio, velut album viridi, & quia sunt contrariæ formis elementorum, vt medium extremis, vt infra dicetur. Tertio quæro. Ista dispositio transit ne vltra acquisitionem formæ, vt euadat proprietas fluens à forma? Declaro: Hic est caliditas disponens: Deinde est caliditas, qua elementum agit, quæ dicitur fluere à forma, est ne eadem hæc cum illa? Si est eadem, prima caliditas est materialis, nam dispositiones habent rationem materiæ, secunda est formalis; quia est principium agendi, ergo idem est materiale, & formale, & id requiritur ante formam, quod fluit à forma. Si non est eadem, ergo duæ caliditates. Dicent fortè, aboleri primam adueniente forma, sic Thomistæ. Sed peto à quo? Et præterea forma remanet, & dispositio est corru-

Instantia altera. Solutio.

Thomistę opinio circa dispositiones.

corrupta, ergo remanet forma incorruptibilis; quia nec contraria est, nec contrarietatem habet, & contra D. Thomam erit argumentum tale. Si neque contraria est simpliciter, neque vllo modo etiam dispositiuè habet contrarietatem, quomodo corrumpitur forma elementi? clausis itaque cuniculis, in quos isti secedunt, vt lateant, remanet firma demonstratio, quòd si formæ elementorum non sunt contrariæ, sunt necessariò incorruptibiles.

Argumētum contra Thomistas.

CAP. SEPTIMVM.

Variæ glosæ aduersariorum ad Aristotelis dicta, vt reprobandæ.

PRo soluendis his rationibus, & alijs, quæ afferri possent, sed nobis consultò prætermittuntur, quas non habent aduersarij ad locos Arist. glosas? Infirmos videmus, qui requiem in plumis non inueniētes has in illas mutant, & semper idem; quia causa irrequietis est in venis. error nūc est in principio, quare mutato dicendi modo nihil minus. Cretenses Minotaurum Labirinto muniuerunt, ita isti suæ opinioni Labirintum inuolutionum, & distinctionum, quo seruaretur construxerunt. Quot distinctionibus Auerroistæ vtantur dictum est, has alij accipiunt: paulisper mutant: aliquando coniungunt multas simul: nullas in formas, Protei instar, non se transformant, vt se tueantur. Mihi singula sunt proponenda, in quibus dabo operam, vt id ego seruem, quod & ab illis decet seruari, & sic præscribitur à Philosopho 2. Elenchorum cap. 4: *Nam erat solutio manifestatio syllogismi falsi.* Nihil quippe afferam, quin eiusdem rationem reddam, nec proponam aliquid falsò dici, quin causam falsitatis assignē, fugere enim id maximè studui, quod, & alios fugere conuenit; illud scilicet, quod dicit Philosophus eodem 2. cap. 1: *Nam si is, qui in orationibus est consocius, ora-*

tiones vituperat, cùm nihil habeat, quod determinet de vitiositate earum, dat suspicionem, quòd videri velit insolescere, non quia verum sit, sed propter imperitiam. Equidem auditis melioribus, meliora sequar. Non ignoro enim (quòd par est, & alios non ignorare) id, quod dicit Philosophus 8. Topicorum cap.3: *Est enim in disputationibus proteruia responsio, præter dictos modos syllogismi destructiua.* Et cap.4: *Proteruientes igitur altercatorias, non dialecticas faciunt exercitationes.* Et alia quæ de proteruis dicit. Id sanè prudenter disputantibus seruandum est; quod dicitur eodem 8. Topicorum in fine: *Ab eo enim, qui omnino tentat apparere, diffugiendum.* Et quod subiungitur: *Verumtamen non pulchrum; eo quod non oportet aduersus quoslibet facilè consistere, quandoquidem necesse est prauiloquium inde emergere.* Erit autem talis dispositio huius partis: Primò considerabo id, quod dicunt formas elementorum substãtiales esse innominatas. Secundò eam distinctionem particulariter remouebo, qua dicitur, quatenus substantia, quatenus elementa; quia est distinctio multum trita. Tertiò ponderabo vniuersam distinctionem Suessani, quæ est & Zimaræ, & fuit multò prius aliorum. Quartò loco erit applicatio glosarum ad locos Philosophi omnes sigillatim, & earum reprobatio.

CAP. OCTAVVM.

Confutatur dictum aduersariorum; quòd formæ elementorum sunt innominatæ.

AIVNT: formas elementorum esse innominatas: & Aristotelem cum nominat qualitates pro formis, loqui circumscriptiuè. Rationem reddere student. Primò communiter; quia vltimæ rerum differentiæ sint incognitæ. Secundò particulariter; quod scilicet Simplicium corporum formæ substantiales, nomine careant; quia id habeatur ex

Aristo-

Aristotele. Quod quidem vltimæ rerum differentiæ sint incognitæ passim pronunciant; vix locum vnum in Aristotele afferunt, vbi hoc scribatur. Est aliquid circa hoc apud Auerroem 8. Metaphysic. com. 5. & 7. com. 41. 4. de Cęlo com. 6. & alijs in locis. Ne autem in plura hic sermonem diffundamus, non est dubium; quin in singularibus (vt loquitur aliquando Auerroes) ratio temperamenti sit incognita, vti non est etiam dubium, vltimas differentias in aliquibus esse incognitas, veluti non est notum, quæ sit differentia, qua sensitiua equi differat ab alijs sensitiuis aliorum animalium; sic, vt per illam equus sit hinnibilis. Verumtamen licèt ignoretur hæc differentia; adeo vt nomen ad eam significandam non habeamus, rem tenemus, & scimus, quòd est talis sensitiua, quæ sibi iungit esse hinnibile, ac proinde hoc vtimur pro illa. Quocirca ignorantia harum differentiarum, vbi ignorantur, non facit, quod aliqui putant; quin possimus planè demonstrare. Auerr. in hoc proposito adducens Palmam pro exemplo in Paraphrasi 4. de Cęlo summa 3. cap. 1. sic loquitur: *Nos autem dicamus præscriptas definitiones constitui ex genere, & differentia, quorum neutra à definito seiungi potest; quia pars est definiti, vt in posterioribus ostenditur. Quod autem propriè rei actiones constituantur loco differentiæ, vbi non apparent differentiæ secundum se totæ: vti in Palmæ definitione dicimus, ipsam esse Arborem dactilos producentem. hoc & ibidem ostensum est.* Quod volui adduxisse contra illos, qui non solùm dicunt vltimas differentias esse incognitas, sed insuper addunt, propterea nihil posse sciri: Sed de talibus non est curandum. Non est sanè dubium, vt supra diximus, has vltimas differentias, aliquando esse ignotas, & innominatas; non tamen hoc est perpetuum, & nullo modo est in elementis. Qui verò aiunt, particulariter Aristotelem dicere, has ipsas elementorum formas esse ignotas, & innominatas, adducunt textum 2. 4. de Cœlo, vbi habetur: *Graue, & leue; quia moueri aliquomodo naturaliter possunt, dicimus: actibus autem illorum nomina non sunt posita.* Isti quidem graue, & le-

Auerroes q̃d dicat de ignoratione differentiarum in Paraphrasi 4. de Cęlo summa 3. c. 1.

Loci ex Arist. adducti ab Aduersarijs, ad ostendendum formas elemẽtorum esse innominatas. Primus locus.

ue accipiunt pro proprietatibus,& dicũt actibus ipsorũ ideſt formis, quarum hæ ſunt proprietates, nomina non ſunt poſita: ac proinde colligunt Ariſt. dicere, formas elemẽtorum carere nomine. Adducunt inſuper caput vltimum 4. Meteororum, vbi ſcribitur: *Adhuc autem in igne, & aqua minus: ipſum enim cuius gratia* (ideſt forma) *minimè hic manifeſtum eſt*. Zimara in contradictione 2. 7. Phyſic. id colligit ex 8. Phyſic. tex. 32. vbi habet Philoſophus, quòd collocari inferius eſt eſſentia grauis, & collocari ſuperius eſt eſſentia leuis. ſupra tamen tex. 28. dixerat moueri ſurſum, & deorſum eſſe actiones grauium & leuiũ, ergo per terminos actionum circumſcribit formas, vel per ipſas actiones. Hoc (inquit Zimara) non contigiſſet, niſi eſſet verum, quod diximus; nempe differentias vltimas Simpliciũ eſſe nobis ignotas. Accipiunt idem ex tex. 22. 12. Metaphyſic. vbi Philoſophus habet: *Veluti fortaſſis corporum miſcibilium calidum tanquam forma*. Si tanquam forma (aiunt) ergo non forma, ergo forma ignota circumſcribitur per calidum. Ratione etiam ſtudent perſuadere, quòd ſint ignotæ; quia ſint formæ materiæ propinquæ, quæ ſecundum ſe eſt ignota. quare par eſt ipſas ſequi illius conditionem. Sic variè ſe habent in hoc ſtatuendo, & mendicantes, hùc illùc ambulant, ſi fortè pro ſuo figmento aliquod, quod ſuccurrat, poſſint inuenire. Iſti ſanè loci nihil ſunt ad propoſitum, vt in eorum explicatione apparebit. Nunc parum dicendum eſt de re ipſa. Illud primò conſiderandum propono, quòd Ariſt. in Prædicamentis cap. de Relatione docuit fingenda eſſe nomina, vbi non ſint. Et propono obſeruandum, quòd ipſe id fecit, in libro Perihermenias de nomine infinito: *Huic autem differentiæ* (ait) *nomen non eſt poſitum, ſed ſit nomen infinitum*. Et propono animaduertendum, quòd vbi id non fecit, admonuit, nomina, quę apponebantur non eſſe propria, vt in 4. Meteororum ſæpè. Sed planè. In cap. 3. in principio. In moralibus item ſæpiſſime. Sed planè in 4. cap. 4. & 7. In libris de Animalibus, nihil minus ſæpè. Sed planè

Secundus locus.

Tertius locus.

Quartus locus.

Ratio ad idẽ probandum.

Ariſt. ſemper monuit quando res non habẽt nomina.

1. de

1. de Historia cap. 13. 2. c. 15. & alibi; non enim decet omnia persequi. Obseruo igitur summa cum ratione, quòd quotiescunque de elementis loquutus est, de re sanè maximi momenti, nihil posuit tale si putasset esse innominatas illorum formas, penitus irrationabile est, ipsum nè verbum quidem vnquam de hoc dixisse. Sed præter hoc fuisset error maximus hac ratione. Istis vtitur in generatione substantiali; si sunt accidentia, & est illius suppositio, quòd ex non substantijs non est substantia, maximus error fuisset non aduertere contradictionem, vt eam declararet. Sed præter hoc. Si sunt accidentia, iam hęc nomina calidum, & frigidum, sunt ex illis, quæ multipliciter dicuntur. nam in vna significatione notant propriè has qualitates, quę sunt accidentia: in alia significant circumscriptiuè formas substantiales elementorum. cum igitur illis velit Philosophus vti in tota transmutatione substantiali. in definitione generationis misti, in definitione ipsius misti, error esset, & contra præceptum. 1. de Cœlo, quòd habet contra Veteres tex. 110. si prius nomina non distinxisset, vt pateret, quomodo istis vteretur, an vt denotant talia accidentia, an verum vt significant formas. Sed vlterius ipse ponit esse nominatas in simplicibus oppositas dispositiones. 1. Physico. tex. 45. Hę oppositę dispositiones attinent ad formam, & priuationem, quare in simplicibus oportet formas, & illarum priuationes, quæ sunt cõtrarię formę, esse nominatas. Aiunt, illum nomine simplicium intelligere accidentia. Sed primò hoc est falsum, quòd in accidentibus oppositę dispositiones sint nominatę. Deinde illa expositio est fuga, & vanitas. Qualitates accidentales mistorum, & affectiones eorundem habemus in 4. Meteororum esse, vt plurimũ innominatas: vitia, & virtutes sunt habitus, & qualitates, sępe tamen sunt innominatę: In primo Elenchorum cap. 1. habemus res esse plures, quam nomina; quia nomina finita sunt, res numero infinitę. Hoc magis est in accidentibus, quàm in substantijs, quare innominatum esse magis contingit in accidentibus, quàm in substantijs.

Errasset Aristoteles, nisi admonuisset, caliditatẽ, &c. esse accidentia.

Locus. 1. Physico. text. 45. declaratur.

tijs.

tijs. Deinde verò locus ille eſt de ſubſtantijs,non de acciden tibus, vt Ioannes Grammaticus ibi conſiderat, quod nos non repetimus, quia ſupradictum eſt, & apud ipſum videri poteſt. Ratio quam Aduerſarij habent, eſt; quia ſint exempla accidentium; quia ſimplicia ſint compoſita ex materia & forma. In qua ratione, id quidem, quod de exemplis dicitur, eſt ridiculum. Exempla enim hoc caſu accipiuntur ſo lùm ad euidentiam: & ſi hoc dictum de exemplis vim habet, quomodo tuebuntur Ariſtotelem, qui ponit Muſicum, & immuſicum vt actiua; tamen non ſunt actiua. Sed eſto facia mus vim in exemplis: Philoſophus ponit conſonans, & inconſonans, pro forma, & priuatione in miſtis: calidum, & frigidum pro forma, & priuatione ſubſtantiali in ſimplicibus. muſicum, & immuſicum pro forma, & priuatione in accidentibus. Videnda tamen eſt apud Simplicium doctrina Ammonij & Alex.com. tex. 50. vbi ſtatuunt inquirenda principia ſubſtantiarum.in his enim alia Prædicamenta eſſe habent; quia ſicut ens primo eſt in ſubſtantia, & inde proue nit ad alia genera,ſic forma, & priuatio ſtatuunt primam cõ trarietatẽ in ſubſtantia, quę ſecũdaria ratione accomodatur ad alia Prædicamenta. Quocirca apparet vanum penitus re currere ad accidientia,de quibus nihil ſeparatim dicendum fuit à Philoſopho, ſed ſolùm proponendum aliquid,vt pate ret, ea; quæ circa principia ſubſtantiarum ſtatuuntur, ijs etiam accomodari. Dicunt inſuper nomine compoſitorum ſignificari ſubſtantias; quia ſubſtantiæ ſint compoſitę ex ma teria & forma, & fieri in ſubſtantijs, non materiam, non for mam, ſed compoſitum. Quod ſimul eſt vanum, quia accidentia,prout fiunt ſunt magis compoſita,ex corpore ſcilicet compoſito,& qualitate ipſa.non enim fit albedo,ſed album. Ego autem ſic obijcio. An Ariſtoteles de alia contrarietate meminit, quàm de contrarietate in ſubſtantia? tex. 50.non ſanè: *Subſtantia* (ait) *vnum genus: In omni genere vno, vna prima contrarietas*. Ergo non de alia contrarietate debet loqui,neque aliam oppoſitionem conſiderare,quàm eam,quę

ſit

ſit in ſubſtantia. hęc enim eſt illa, quę eſt verum & ſufficiens principium ad generationem, ſiquidem ad generationem ſubſtantię, conſequitur generatio accidentium, & eadem ſunt principia ſecundum analogiam omnium Prædicamentorum, vt habetur 12. Metaphyſicor. tex. 19. Id itaq; totum de ſubſtantijs oportet eſſe prolatum. Et ineptum eſt ad accidentia confugere, niſi quatenus de ratione communi compręhenſis primo ſubſtantijs, alia omnia compręhenduntur. Et quod dicitur de compoſitis, id dictum eſſe de miſtis, ſatis oſtendunt nomina, quæ inueniuntur à Philoſopho conſonantis, & inconſonantis, quæ ſunt nomina harmoniæ, quã harmoniam in miſtis agnoſcimus, iuxta proportionem miſcibilium, vt eſt in 1. de Anima tex. 54. Quòd ſi compoſitorum nomine ſubſtantias miſtas accipimus, quod ſemper à Philoſopho fieri ſolet, ergo ſimplicium nomine, ſubſtantias ſimplices debemus accipere: & ſic remanebit, quòd formæ in ſimplicibus non erunt innominatę. Operationes profectò ſubſtantiales elementorũ ſunt notiſſimę: quomodo autem fieri poteſt, vt exiſtentibus manifeſtis operationibus, formę lateant maximè in ſimplicibus, vbi forma non conſiſtit in miſtione? ibi enim manifeſta exiſtente operatione, fortè latebit forma; quia latebit ratio proportionis, quæ in illa vnione miſcibilium reperitur; in ſimplicibus verò hoc nequit eſſe. Fieri bene poteſt, vt claris exiſtentibus principijs operationes lateant, vt in 4. de Cœlo tex. 1. Et obſecro iſtos. Ariſt. ipſe contra Platonem oſtendit Plantas non habere ſenſum, quia nulla eſt operatio, quæ id declaret. Sic ſomniẽt ipſi quantum velint, nullam habebunt operationem, quæ ſignificet has formas innominatas, quare, ſi nulla operatio eas oſtẽdit oportet eas nihil eſſe. Sunt qui dicãt, operationẽ quę oſtendat has formas eſſe generare ſibi ſimile. ſed conſiderẽt parũ, an generet ignis ſibi ſimile, alia ratione quàm ea, qua eſt calidus, & an generet, quid aliud, quàm corpus ſimiliter calidum. Quid ergo latentia inquirunt vbi totum eſt compertiſſimum? Tex. ſanè 6. 2. de Generatione Ariſt. facit ele-

menta

menta ex materia prima,& contrarietatibus. hæc contrarietas,quam ibi ponit,est contrarietas dicta.1. Physicor.illa verò est contrarietas in substantia , pro hac contrarietate nominat qualitates, &ait: *Dico*, quod verbum significat asseueranter id affirmari, & citra omnem dubium , & omnē ambiguitatem , si Aristelis consuetudo in simili loquendi modo benè obseruetur. Quare contrarietatem in substantijs simplicibus nominatam, non innominatam oportet ponere. 5. Physicor. tex. 18.habemus,alteratione nomen motui in qualitate ipsum imposuisse,vt ex Litera colligi potest Et clarè Simplicius, motui in quantitate, videmus eum admonere, non esse commune nomen ; lationemq; ostendere communi nomine appellatam, nō propriè esse appellatam. Quid ergo de his qualitatibus adeò necessaria eum prætermisisse putandum est? Ad ea verò, quæ isti adducunt, esse potest responsio ex sola locorum inspectione. Dicamus tamen breuiter sigillatim ad vnum quodque. Tex.2. quarti de Cœlo, hæc habet. Graue & leue dicunt potentias, vt etiam tex.1. scriptum est, & dicunt potentias ad moueri. Vbi discant, qui volunt elementa habere principium actiuum sui motus; sicuti autem calidi actus, respondens suę potentiæ, dicitur calefactio, non ita actus, per quem istę potentiæ passiuæ ad actum reducuntur, est nominatus. Actus visiuæ per quem ipsa fit videns, dicitur visio: Non sic actus per quem graue fit actu, est nominatus, quare Arist.loquitur de actu consequente, non de actu antecedente, & loquitur de actu secundo, non de primo. Et tex.Gręcus habet ἐνέργεια, quod rectè vertit Interpres actionem. Quòd verò hæc sit expositio eius loci, clarè habetur ex ipso tex. cum dicit: *Nisi quis putet propensionē ipsam esse talem.* Ideſt,nisi quis dicat propensionem ad sursum esse actum leuis, propensionem ad deorsum esse actum grauis, & communi nomine ponat propensionem significare actus istorum; qui proportione respondeant actionibus consequentibus formas, non antecedentibus. propensio enim, dicicit quid consequens ad esse grauis & leuis,

Simplicius.

Respondetur locis ab Aduersarijs adductis, pro formis innominatis.

Ad primum locum.

Explicat tex. 1.quarti de cœlo.

& leuis, non quid antecedens, cuius graue, & leue sint proprietates: sic tex. clarè se habet: sic eum exponit rectè Simplicius. Noui, quid Auerroes inuoluat, sed nunc non est locus illius corrigendi. Quod dicitur ex 8. Physicor. idem est. Actus (ait Philosophus) leuis est alicubi esse: & loquitur de actu secundo, proportione respondente visioni in oculo: Et moueri sursum est idem actus secundus in fieri: & hic actus est ille, qui dicitur innominatus in 4. de Cœlo, vt explicauimus. Quod ex 12. Metaphysico. accipitur, id supra est expositum, dicatur tamen & nunc, quòd comparātur inuicem calidum, & frigidum in ordine ad formam, & priuationem: & dicitur calidum tanquam forma, frigidum tanquam priuatio, rectè; quia vtrunque est forma. Sed si simul comparantur in illa relatione habitus, & priuationis, calidum se habet tanquam habitus; quia est quid perfectius, frigidum se habet, tanquam priuatio; quia est quid minus perfectum. Quod adducitur ex 4. Meteororum, habet ibidem solutionem, si intentio Arist. aduertatur, & ea bene intelligantur, quæ dicit in capite illo, quæ satis sunt plana. Dixit Philosophus de similaribus, quale sit vnumquodque secundum materiam, proponit dicendum esse, quale sit vnũquodque secundum rationem; sicq; præparat tractationem de parte formali similarium. Accipit quòd similaria habent substantiã, & esse ex ratione, & forma; Id vult ostendere, quomodo cognoscatur: & primò inducit similaria in dissimilaribus existentia, prout illa cõponuntur: & ait, quòd substantia horum sit magis ex ratione, quàm ex materia, maximè patet in dissimilaribus: quod etiam habuit 1. de Generatione. tex. 37. Ratio est; quia ista sunt instrumenta, quæ habent actum euidentem, qui, quoniam aufertur, statim cum forma aufertur; adeo vt ipsa nõ remaneant id, quod erant, apertè significat; formam illam fuisse, à qua illorum esse proficiscebatur. Secundò inducit similaria absque constitutione dissimilari: & ait, in his quidem idem esse; quod scilicet per formam sunt magis, quàm per materiam; attamen non esse ęquè euidens,

Ad secundum locum.

Ad tertium locum.

Exponitur locus in tex. 22. 12. Metaphy.

Ad quartum locum.

Explicatur locus in cap. vltimo. 4. Meteororum.

vt in dissimilaribus. actiones enim & vsus proprij similariũ, vt similaria sunt, non sunt ita comperti, vt sunt comperti in dissimilaribus; adeo vt earum ablatio statim conspiciatur: & inde significetur fuisse ablatum esse similariũ ex recessu formæ. Ab his venit ad elementa, ex quibus hæc similaria constituuntur. Et inquit, adhuc minus in ipsis patere illorum esse à forma fuisse. minus enim ablata forma in illis patet ablatum fuisse id, cuius gratia erant in illo dissimilari; neque enim quid ignis, & aqua ibi facerent diuersum ab eo, quod nunc faciunt in carne separata, est compertum. Reditq; rei huius rationem Philosophus; quia quanto magis habent de materia res, tantò minus illarum actio elucet: Rationem materię in dissimilaribus habent similaria, quare actio similariũ obscuratur. Adhuc magis elementa, quare & eorum actio magis absconditur, & cuius gratia ibi sint, distinctè non discernitur. Quanto verò plus de forma res habet, tanto actio euidentior, & materiæ à forma distinctio clarior, quod in dissimilaribus contingit. Hæc Philosophus, vbi elementa in misto considerat non in se. Quòd verò in misto ea consideret, vel ipsa quæ assumit, possunt indicare. Sumit enim ignem, & aquam, quæ contraria sunt; quasi volens significare se elementa accipere vt mista sunt, cum mistio fit, ratione contrarietatis: quare non est magis ad propositũ locus iste, pro formarum elementarium innominatione, quàm alij fuerint. Et profectò si hoc esset, quod isti cupiunt, esset error grauissimus Aristotelis, qui forma ignis existente ignota, non hoc dixisset, nisi obiter, & aliud agens; instar illorum, qui incidũt in veritatem casu quodam. Vbi verò res erat necessaria, id ibi tacuisset. Quod autem, simpliciter loquendo, malè recurrant ad illud, quod Arist. loquitur circumscriptiuè, facilè patebit considerando, quando sumit has qualitates, quomodo eas sumat. Sumit certè calidum, frigidum, humidum, & siccum, prout ipsa definit. Non conuenit autem calido congregare homogenea, & segregare ętherogenea prout aliquid circumscribit, sed per suam essentiã, quare

Ostendit Aristotelem non loqui circumscriptiue de formis Elemẽtaribus.
Prima ratio.

re accipit calidum,& sic alia; non prout aliquid circumscribunt, verum prout sunt tales naturæ. Accipit etiam illa, vt Veteres faciebant: Ipsi nihil circumscribebāt, quarè vanum est recurrere ad circumscriptionem. Tex. 6.2. de Generatione ponit has qualitates secundum constituens elementa. si ante eas est forma, quæ per has circumscribitur, erunt tertium, non secundum. si ponit eas pro forma, silebit qualitates, in quibus consistit secundum istos essentia elementorū. si ponit pro vtroque simul, confundet, cum velit distinguere. Sed sunt fugę istę, & patent esse vanę ex expositione textus, & patebunt ex his, quæ dicenda sunt de hac Philosophi consideratione. Cum dicunt formas elemētorum, esse ignotas; quia sunt proximę materię. Aduertant primò, materiam esse ignotam secundum se, non ita quantum ad nos; quia, quod per analogiam cognoscitur, non difficulter cognoscitur. Deinde intelligant, quòd, quia sunt proximę materię, & non confundunt in se multos actus, ratione cuius confusionis proprię actualitatis ratio debeat latere, ideò debent esse notissimę; quia opposita iuxta posita, magis patent.

Secūda ratio.

Tertia ratio.

Formę elemētorū, non sunt ignotæ; quia sint proximæ materiæ.

CAP. NONVM.

Consideratur Distinctio. Quatenus substantiæ, quatenus elementa.

ACcepi hanc distinctionem per se considerandam, quia est in ore omnium. Volunt enim Aristotelem in lib. de Generatione, non considerare simplicia corpora, prout sunt tales substantiæ, sed sub hac relatione; quatenus sunt elementa. Circa quod aduertendum est, quod nonnulli, qui tenent hanc distinctionem, vtuntur etiam simul alio modo dicendi; quod scilicet Arist. loquatur circumscriptiuè, & hoc male faciunt, etenim si considerantur ibi corpora simplicia, quatenus sunt elementa, illa vocabula calidi, &

frigidi, nihil circumſcribunt; ſunt enim verè, ſecũdum illos, principia, & formę elementorũ. Et ex altera parte, ſi Ariſt. loquitur circumſcriptiuè, nihil facit; quamuis conſideret illa, non vt elementa, ſed vt talia corpora ſimplicia, quare hę duę diſtinctiones ſimul nõ ſunt neceſſarię, imò vna inuoluit aliã. Sed præter hoc cõſideretur parum, quid iſti habeãt ex hac conſiderationis diſtinctione. Quatenus ſimplicia corpora, ſiue quatenus tales ſubſtantiæ, & quatenus elementa; neque enim id habent, quod putant. Simplicia quidem corpora poſſunt dici elementa duplici ratione. Primò in ordine ad miſtum. Secundò in ordine ad Mundum. Si conſiderentur vt elementa, non conſiderabuntur hoc ſecundo modo in libris de Generatione, ſed primò; quatenus ſcilicet miſcẽtur. Tũc arguitur ſic. Non miſcentur ſimplicia corpora, niſi quatenus ſunt ſubſtantię tex. 83. & 84. 1. de Gener. quare ſi conſiderantur prout miſcentur, debent cõſiderari quatenus ſubſtantię, vnde diſtinctio nõ habet locũ. neque enim, vt miſceãtur. aliud addunt ſupra hoc, quod eſt eſſe ſubſtantias, niſi agere inuicem, & pati: diuidi ad minima: referri ad vnionẽ, in quam debent terminari; quæ omnia habere debent, prout ſunt ſubſtantiæ, alioquin ratio miſtionis eſſet ad accidentia referenda, & miſcibile non eſſet Subſtantia, vt præſupponitur, ſed ratio miſcibilitatis tota eſſet in accidẽtibus poſita. Quocirca non facit diuerſitatem illam, quam iſti putant, hæc ratio formalis: quatenus ſubſtantiæ, quatenus elementa. Sed pręterea quòd ſimplicia corpora in 2. de Generatione conſiderentur vt talia corpora, non ſolum in illa ratione, quam iſti dicunt relatiua elementi, ſatis patet ex tex. 7. cum ait Philoſopus: *Quoniam igitur quærimus ſenſibilis corporis principia*. Et cum ſubiungit: *Corporis formas, & principia faciunt*. Nec dicant, quod conſiderat illa, vt ſenſibilia, quia dicit, corporis ſenſibilis. Nam illud ſenſibile, eſt, ac ſi dicat naturale. Ponit enim ad differentiam corporis Mathematici, & ad differentiam eius ſubiecti, quod ponebatur ab Anaximandro, & materia, quæ eſt corporea in molem educta

Simplicia corpora poſſunt dici elementa duplici ratione.

Elementa in lib. de Generatione, conſiderantur ſecundum abſolutã ſuam naturã.

Dilucidat tex. 7. lib. 2. de Generatione.

cta fine qualitatibus, non autem ad ponendam illam relationem, quatenus scilicet à nobis sentiantur. Sic enim tex. 3. dicebat, impossibile esse corpus sensibile; ideſt naturale, esse sine contrarietate. Considerent parum (si placet) Aristotelis propositionem in fine tex. 6: *Sed non minus & vt corporis qualia, & quot dicendum principia.* Cõsiderent illud vt corporis, videant Auerroem, quem profitentur scribentem: *Est igitur narrandum de elementis corporum compositorum sensibilium, secundum quod sunt corpora.* An etiam vlterius dicent, quòd considerantur vt elementa, non vt talia corpora? Sed clarè est tex. 107. 2. de Anima, vbi habetur, quòd istę differentiæ constituunt elementa, quæ sunt corpora simplicia; quatenus sunt corpora naturalia. Scribitur hoc pacto: *Tangibiles igitur sunt differentiæ corporis, secundum quod corpus. Dico autem differentias, quæ elementa determinant, calidum, frigidum, humidum, siccum, de quibus prius dictum est in ijs, quæ de elementis.* Vbi aduertatur, quòd dicit corporis, quatenus corpus. Quod videbitur aduersari dictis nostris, & Græcorum, qui dixerunt has qualitates esse accidentia corporis, vt corpus est. Dicit autem nunc Philosophus simpliciter corporis, vt corpus, intelligens de corpore naturali, quod esse, inter omnia primum dixerat tex. 3. vt ideo nunc illi nomen corporis simpliciter attribuat. Adiungatur, quòd simpliciter, & vt tales substantiæ, patet ista corpora considerari; quia ibi consideratur constitutio illorum, numerus illorum, quæ non ponuntur, nisi vbi habeatur absoluta consideratio. Et patet, quòd non considerantur particulariter in ordine ad mistũ, vt isti volunt, quia consideratur etiam eorum transmutatio vicissim facta. Et quod dicitur de mistione, & misti generatione, non facit; quin hæc cõsideratio sit absoluta; quia dum considerantur simpliciter, necessariò considerantur, prout agunt inuicem, & patiuntur. hæc enim est eorum natura, per quam à Cœlo distinguuntur. dum autem inuicem agunt, & patiuntur, potest hæc actio, & passio desinere, vel quatenus vnum in aliud mutetur: & hæc est ratio, quæ tota absoluitur

Textus 107. lib. 2. de Anima declarat.

Elementa in lib. de Generatione non considerantur in ordine ad mistum.

in

in libro secundo de Ortu, & Interitu; vel quatenus simul iuncta in aliud desinant: & hęc ibidem vniuersaliter debet haberi, pro explicanda horum corporum natura: & propter hoc mistio fuit exponenda; particulariter autem de misti generatione nihil absolutum, sed aliquid solùm per accidens. Consideratio verò absoluta elementorum in ordine ad mistionem, non potest haberi, nisi vbi definitur generatio, & corruptio misti. Nec conuenit dicere, quòd alibi habeatur, quàm vbi qualitates in misto ab his corporibus prouenientes explicantur, quod fit in 4. Meteoror. Ergo male dicitur, quòd in libris de Ortu, quatenus elementa considerentur: Intelligendo istud dictum, quatenus elementa, vt isti volũt, secundum puram relationem ad mistum, nullo modo attendendo elementi substantiam. Quod tamen re ipsâ non esse, satis dictum est.

Elementa in ordine ad mistum considerantur in 4. Meteororum.

CAP. DECIMVM.

Considerantur distinctiones integræ, quas Ægidius, Suessanus, & Zimara afferunt.

NE aliquid, quod possit facere ad rei declarationem, quantum in nobis esse potest, desideretur; propono considerandam particulariter distinctionem, quam Aegidius proposuit: ampliauerunt, & variæ proposuerunt Suessanus, & Zimara: alij etiam post ipsos declarauerunt, & variè mutauerunt. In ea autem, quæ ab his primis dicitur, perscrutatione, ea habebuntur, quæ omnes riuulos restinguant. Aiunt isti primò, duas haberi elementorum considerationes, vnam Physicã, aliam Metaphysicãm. Hanc secundãm dicunt Metaphisicam, quia abstrahat à sensibilitate. Vt verò de hac primò dicam: Peto ab istis. An sensibile constituit esse naturale. Dicitur quidem sensibili pro naturali ad diffe-

Ægidij distinctio à Suessano postea & Zimara ampliata.

differentiam Mathematici; non tamen esse naturale, in esse sensibile quantum ad considerationem est collocatum. An non substantiam sensibilem cõsiderat etiam Metaphisicus? non ne etiam huius principia proponuntur consideranda 12.Metaphysicor.tex.5? Deinde considerationem Metaphy sicam elementorum, dicunt; ad ea se habere simpliciter accepta, prout ex materia,& forma componuntur, vel vt dicũt ex quiditate, & deferente quiditatem: Peto. In ista compo sitione includitur ne habere principium motus? si includitur, omne tale est naturale. si non includitur, sed huiusmodi simplicia considerantur simpliciter, vt sunt substantię compositę: Peto. Qualis est hæc consideratio? quæ proprietates, quæ affectiones de illis demonstrantur? Quantum postea adesse naturale (dicebat) Zimara, possunt etiam considerari elementa multipliciter. Primò vt composita ex materia, & forma, coarctata consideratione ad principia sensibilia, ad differentiam considerationis Metaphysicę: & hęc consideratio dicit (ipse) habetur in libris Physicorum. Sed obsecro Virum alioquin versatum. Illa consideratio est communis, quare omnia compræhendit composita naturalia. Quare non minus dicendum est, ibi considerari elementa, quàm omnia alia, vt dicunt qui tenent, corpus naturale simpliciter acceptum esse in libris illis subiectum. Hæc autem consideratio non sufficit, sed requiritur propria consideratio singulorum. Et quantùm ad elementa requiritur consideratio, qua considerentur, vt tales substantiæ,& talia corpora naturalia in sua absoluta cõsideratione, in sua absoluta natura. Quod Zimara relinquit in sua diuisione. Secundò dicit, ea considerari vt sunt partes Mundi: & hoc in libris de Cœlo. Qua in re conuenimus, vel vt sunt causę compositorum, quod idem dictu, ac si dicatur in relatione ad mistum, seu quatenus elementa, vt alij dicunt: quæ consideratio habeatur in libris de Generatione. Et in hoc ab illo dissentimus. Ratio dissensionis supra est posita. Sunt autem, qui dicant, considerari elementa, vt sunt talia corpora simplicia in li-

Consideratio facta in Physicis, est cõmunis ad omnia composita naturalia; nõ autẽ pertinet ad elementa tantum.

in libris de Cœlo, quod non concedimus, & ratio infra dicetur. Certum est, quod in primo de Cœlo tex. 5. proponuntur consideranda vt partes Mundi: & talis solùm, nulla alia eorum consideratio ibi habetur. Subiungunt considerari in ordine ad mistum in libris de Generatione, quod similiter non concedimus,& ratio superius est posita. Isti verò dimittunt eam considerationem,qua consideretur,vt partes Mundi, nisi velint coniungere cōsiderationem eorum secundum se,& vt sunt partes Mundi,quod plurimum distat; quia vna consideratio restringitur ad solum motum, alia verò totam naturam proponit. Suessanus dicit, elementa considerari, vel in se, vel quantum ad nos. Et ait, quòd quātum ad nos, idest prout à nobis cognoscuntur,& sunt corpora sensibilia, sic qualitates sunt eorum quiditates. In se autem si considerentur,ponit varios modos, id verò concludit, quòd quantum ad esse operatiuum considerantur in libris de Generatione, quod profectò esse operatiuum reduces facilè ad quatenus elementa, & in ordine ad mistum, licet sit paulò latius; quia comprehendit mutuam transmutationem. Nobis igitur hęc sunt consideranda, in quibus ea haberi poterunt, quæ ad omnia alia possint valere. Dicemus id solùm, quod est ad hoc negocium, non omnes falsitates persequemur. Illa verò, quæ sunt à nobis cōsiderāda, sunt ista. Primò quòd est necessaria vna consideratio naturalis absoluta elementorum, vt talia simplicia corpora. Secundò quòd hæc non habetur in libris de Cœlo. Tertiò quòd habetur in libris de Generatione, ex quo habebitur quòd dicere quatenus elementa, & quantum ad esse operatiuum nihil est. Redeundo igitur ad primum. Non est dubium, quòd vniuersalis consideratio, non sufficit pro consideratione vlla specifica. Ita loquitur Arist. 2. de Anima tex. 30. & 31. Ita videmus, quòd post communem tractationem habitam in Physicis, ad particularem quamlibet descendit, quare etiam particularis aliqua requiritur consideratio simplicium corporum. Habemus in Meteoris factum epilogum, quòd sit dictum de corporalibus

Elemēta in libris de Cœlo considerātur, vt partes Mūdi.

In Naturali Philosophia debuit esse cōsideratio elementorū absoluta. Probatur primò.

Probatur, secundò.

poralibus elemẽtis, quot, & quę. Hic sanè epilogus loquitur absolutè, & dicere dictum est, quot, & quæ, est dicere illorũ naturas fuisse consideratas. Sic profectò in 2. Physicor. considerando, quę sint causę, definit ipsas, quo circa nullum debet relinqui dubium; quin etiam habere debuerit Philosophus, & habuerit talem considerationem. Hoc etiam fieri debuisse attestatur opinio Simplicij, qui de his in libris de Cœlo agi putat, quare nullum dubium; quin oporteat haberi hanc considerationem. Quantum ad secundum; quòd scilicet hæc perscrutatio non sit in libris de Cœlo, patet ex omnibus, quæ disputantur in cõstitutione subiecti illius operis. Nunc hoc dicendum. Vbi considerantur elementa secundum potentias simpliciter, ibi considerantur relatiuè (potentia enim ad actum refertur) sed considerantur secundum potentias simpliciter; idest secundum grauitatem, & leuitatẽ, quæ dicuntur potentiæ in tex. 1. lib. 4. ergo ibi relatiua est eorum consideratio: Relatio verò est ad Mundi constitutionem, ergo ibi considerantur vt Mundum constituunt. Nec obstat, quòd in 3. tractatum fuerit de generatione illorũ; nã hoc solùm per accidens est factum, & ad cognoscendam differentiam corporis Cœlestis ab illis. Quare colligitur, quòd elementorum consideratio, est in libris de Cœlo relatiua. Est autem relatiua ad Mundum. Ita Philosophus tex. 5. primi: *De ipsius secundum speciem partibus nunc dicamus*. Considerantur itaque elementa in libris de Cęlo, vt partes Mundi. Quantum ad tertium, satis supra dictum est. Quòd autem dicitur, quantum ad esse operatiuum. Quęso ipsos. Esse operatiuum nonne à rei natura? Vbi igitur potest haberi esse operatiuum; quin habeatur, & rei natura? Quomodo hęc possunt distingui? Possunt quidem operationes, & essentię in contemplatione distingui, quando operationes aliquod principium secum habeãt diuersum ab eo, cuius essentia cõsideretur; vt fit in consideratione animę, & operatione animati. Animę quippe substantia in libris de Anima habetur: operationes verò considerantur in libris, quæ Parua Natu-

Probatur tertio.

Elementa nõ cõsiderãtur in libris de Cœlo secundum cõsiderationẽ absolutam.

Probatur primò.

Qualis sit tractatio de Generatione elementorum in 3. de Cœlo.

Probatur secundo.

ralia appellantur. Quandocunque autẽ fuerit aliquod adęquatum principium alicuius operationis, esse operatiuum simpliciter, & essentia, eodem examine debent expendi.

CAP. VNDECIMVM.

Considerantur glosæ, singulis Philosophi locis applicatæ.

LICET communiter omnes modos dicendi istorum reprobauerimus, tamen & nunc libet remouere glosas, quas Aristotelis dictis pro defendenda positione afferre consueuerunt, vt possit postea, auditis partibus, quilibet nostram, & illorum sententiam simul conferendo ex suo iudicio proprium decretum qualecunque interponere. Primò quantum ad locum 2. de Partibus, dicent nos expositionem affectasse. Auerroes enim, & Suessanus post eum, aliter eum locum interpretantur; primam scilicet compositionem esse dicunt ex materia, & forma. Et expositio eorum talis est. Prima compositio statui potest ea, quæ ex primordijs ijs, quæ nonnulli elementa appellant, idest ex materia, & forma, est cõstituta; quæ quidem materia, & forma (vt ait Suessanus) dicũtur primordia, quę nõnulli elemẽta appellant, quia (vt notat Ephesius) tempore Aristotelis, nomen elementi nondum erat tritum. Quia verò potuisset aliquis per elementa intelligere ipsa corpora elementaria, ideò Philosophus corrigit. Sed melius fortasse dici potest, primam compositionem statuendam esse ex virtutibus elementorum, quæ sunt primæ qualitates, humiditas enim, siccitas, caliditas, frigiditas sunt materia compositorum. Ita isti. Sed hęc expositio est pura inuolutio. Quomodo enim primę qualitates sunt materia compositorum, si loquatur Aristoteles (vt dicunt) de compositione elementorũ ex materia, & forma? Quod etiam dicit ex Ephesio, nomen elemẽti non

Perpẽditur locus in 2. de Partibus animalium.

Expositio Aduersariorum.

Cõfutatur expositio Aduersariorum.

ti non esse ita tritum. Primò quidem Ephesius non est tam magnę auctoritatis, vt ex illius dicto sit firmanda sententia. Deinde in primo Physicorum sat habemus, hoc vocabulum fuisse admodum peruagatum: Immo Simplicius scribit, com. tex. 6. lib. 1. Physicor. nomē principij inductum esse ab Anaximandro, non sic de nomine elementi, quo tamen vsus est Anaximander. Et propter hoc fortè dixit Aristot. tex. 48: *Elementa, & ab ipsis vocata principia*. Sed accipiatur istorũ expositio, & prima compositio ibi memorata, sit compositio elementorum ex materia, & forma; certum est, quod eo loco Philosophus considerat ista elementa, vt talia composita naturalia substantialia. Sic enim etiam cōsiderat alia, de quorum compositione loquitur; in hac verò elementorum prima compositione, nihil aliud ponit, præter materiam, & qualitatem, ergo simpliciter dicere oportet, elemēta non ex alijs esse composita, quàm ex materia prima, & his qualitatibus. Cōfugient fortè ad distinctiones, & hęc omnia iam sunt sublata, & infra etiàm quantùm oporteat, remouebuntur. De loco alio, qui est assignatus, attinente ad alimentum ex 2. de Anima tex. 28. quid dicent? An considerari ibi alimentum, vt est sensibile, nō vt est substantia? Vnde; quia est sensibile per has qualitates, volent persuadere proponi vt illis qualitatibus affectum? Tunc autem oportebit, alimentũ alia ratione esse sensibile, alia ratione esse alimētum. Si verò alia ratione est sensibile, alia ratione est alimentũ; sequitur, quòd non habemus sensum, qui per se respiciat alimentum, quatenus alimentum. Quod quidem iudicio meo est contra primum principium; naturam scilicet non deficere in necessarijs; & erit contra totam disputationem, quæ habetur 3. de Anima de vsu sensuum; quòd scilicet sunt dati Animalibus ad salutem, ergo oportet alimentum, qua ratione est sensibile, ea ratione esse alimentum, ergo si est sensibile per istas qualitates, etiam per istas qualitates erit alimentum. Non est autem alimentum nisi quatenus est substantia; quia non alitur Animal, quod est substantia, nisi adueniente substan-

Nomen principij inductũ ab Anaximandro, ex Simplicio 1. Physic. tex. 6.

Perpenditur tex 28. lib. 2. de Anima.

tia, ergo hę qualitates sunt substantiales. Dicent ne, quòd loquitur circumscriptiuè? Non possunt sanè id dicere; quia hę qualitates non circumscribunt obiectum sensus, sed sunt verè illius obiectum. Immo si vltra has qualitates est forma in elementis, vt ipsi statuunt, hæc non erit sensibilis; quia vltra has qualitates tactus non se extendit. Quarè in mistis, ex quibus nutrimur, si illorum substantia non est in mistione harum qualitatum, & illi inhęrens, ex illis proueniens, id quo nutrimur, non erit sensibile; quia vltra has qualitates tactus nihil potest. Et sic nullus sensus nutrimenti inerit Animali per se, quod omninò est inconueniens. Non possunt etiam dicere, quòd circumscribat alia ratione: etenim contradistinguit istas qualitates in ratione alimēti à saporibus; cum autem proponit sapores, nihil circumscribit, quarè neque etiam in his qualitatibus debet circumscribere. Dicit autem sapores nihil esse ad nutrimentum, nisi in ratione condimenti, istas verò qualitates esse illas, in quibus est ratio nutriendi; si istę qualitates sunt accidentia, multò minus in illis est ratio nutrimenti, quàm in saporibus. Sapores enim per se important mistionem, hę qualitates possunt esse sine mistione, quare sapidum immediatius se habet ad nutriendum, quàm humidum; aer enim est humidus, non tamen nutrit. Dicent, quòd se habent ad nutriendum secundum dispositionem. Sed tunc non habebimus sensum nutrimenti propriè, & solum habebimus sensum nutrimenti dispositiuè. Cogitabunt, scio de alio 3. de Anima, nouam expositionem, sed alibi erit reprobanda. Nunc ea supposita, quam proposuimus, quę certissima est, sic pro nobis facimus rationem. Loquitur quidem Philosophus de cognitione, vt vocant, suppositi substantialis. Carnem sumit pro exemplo. Dicit hanc esse rationem, idest commēsurationem harum qualitatum. An volunt isti, vt consistat essentia carnis in temperamento accidentium, quæ accidētia alioquin non miscentur, vt est in primo de Generatione? Quantum ad principium quarti libri Meteororum, dum sic arguimus nos.

Perpenditur tex. 9 lib. 3. de Anima.

Perpenditur principium 4. Meteororū.

Arist.

Arist. has qualitates elementorum causas dicit, ergo oportet, vt sint illorum causæ in aliquo genere. Ait Zimara, dici causas dispositiuas. Aiunt alij, dici causas; quia circumscribunt causas. Alij, vt Albertus, quòd dicuntur causæ agendi, quod est ac si dicatur, quatenus elementa; non autem causę essendi. Alij quòd dicuntur causę Phisicè loquendo; non sunt autem causę Metaphisicè; abstrahendo scilicet ab ipsis elementis omnem actionis, & passionis rationem, & relinquendo illa in puro esse corporali. Quod hæc omnia malè dicantur, non difficulter ostendi potest. Primò quidem malè dici, quod Philosophus eas vocat causas circumscriptiuè, sic facile patet. Ita sanè Aristot. illas dicit esse causas elementorũ, prout eas definit; definit autem eas, non prout circumscribunt aliquid, sed prout sunt tales qualitates, ergo non circumscriptiuè eas accipit, sed propriè. Quòd autem eas definiat verè vt tales qualitates, benè legenti, & benè intelligenti nullo negocio erit manifestum. Illi enim caliditati, prout caliditas est, conuenit congregare homogenea, & alia facere, quæ ibi Philosophus proponit, & tex. clarè id loquitur, cùm habet: *Fides autem horum ex inductione.* Hæc autem à sensu oritur, qua ratione sequitur textus: *Videntur enim.* Quomodo verò ex sensu fidem habere possumus de actione formę incognitę, si calidum ea faceret, prout circumscribit formam incognitam? Calidum ea facere, potest sensus docere. Sed calidum in virtute formę, quę ignoratur, quæ nõ est talia operari, sensus quatenus sensus nunquam docebit. Si dicas insuper quòd istę qualitates, quæ definiuntur, circumscriptiuè accipiuntur, oportet, vt etiam definitiones circumscriptiuè intelligãtur; quippe quę nõ conueniant definitis, nisi prout etiam ipse circumscribunt actionem, quæ non est illorum, sed alijs conuenit, quæ nõ sunt in aperto. Et sic Arist. in multa ęquiuocatione erit progressus sine distinctione, quod superius consideraui. Id, quod dicitur, eas dici causas; quia sunt causę agendi, quod idem est, ac si dicatur, quatenus elementa, aut causę Physicè acceptę, redarguitur

ex

Zimara.

Albertus.

Primę qualitates, non sunt causæ elementorum circumscriptiuè. Probatur primò.

Probatur secundò.

Primæ qualitates, si dicuntur causæ elemẽtorum; quæ sint causæ agẽdi, sequitur quod sint formę substantiales.

Probatur primò.

ex Arist. 2. Physic. tex. 13. vbi habet. Id quod est principiũ generãdi, est rei substantia. Quòd si hę qualitates sunt principium generandi, ergo sunt de rei substantia. Secundo item de Anima habet tex. 34. quòd anima est forma, finis, efficiens operationum, ergo si sunt principia operandi, nihil aliud sunt quàm forma. Præterea agens agit, vt assimilet sibi passum: Assimilatio est ratione formæ, ergo quod est principium agendi, nihil aliud est quàm forma. Insuper non separatur actio à forma. Vnde de Anima dicitur, quod si habet opus proprium est separabilis, ergo si sunt principia agendi, sunt formæ. Præterea 2. Physic. tex. 7. formam, & efficiens veniunt in idem specie, ergo hæ qualitates non possunt esse causæ agendi actionem essentialem, qualis est mistio, & generatio; quin sint formę. Dicit Achillinus has esse causas, sed causas instrumentales. Cõtra ipsum id valet. quod enim agit vt instrumentum mouet motum ex 3. de Anima tractatu de motiua: Iste qualitates mouent, & agunt, tãquam primò mouentes, ergo non agunt, vt instrumentum; nisi eo modo, qui dictus fuit, considerando dicta Ioannis Grammatici. Dicunt non esse verum instrumẽtum, sed quid simile, & proportionale instrumento. Sed profectò si simile, & proportionale, oportet, vt conueniãt in primis, & essentialibus conditionibus, quod nõ faciunt. Satis enim compertum esse puto, quòd hę qualitates sunt principia prima in natura agendi, & patiendi in his sublunaribus. Id quod expressè dicit, & Albertus, qui semper sumit, quòd hæ qualitates sunt principia prima. Non potest etiam hoc dictum Achillini placere alijs, qui dicunt elementa, vt actiua, & passiua his qualitatibus formari. Si enim forma & ratio actiuitatis est in his qualitatibus, ergo hæ sunt prima actiua. Obsecro ego istos. An Philosophus semper proponet causas instrumentales tantum? Definiet generationem misti per instrumentalia sine vlla distinctione, sine vlla admonitione? Quod dicitur, has qualitates vocari causas elementorum, sed cognosci tan quàm causas dispositiuas, satis reprobatum est. Dicatur tamen,

Probatur secundò. Probatur tertiò. Probatur quartò. Probatur quintò.

Qualitates elementares, non sunt causæ instrumentales, contra Achillinum. Probatur primò.

Albertus.

Probatur secundò.

Qualitates primæ, non sunt causæ elementorum dispositiuæ.

men, quòd si vt causæ dispositiuę accipiuntur, concurrent ad generationem dispositiuè; hoc verò semper attinet ad materiam. Modò calidum, & frigidum ibi accipiuntur, vt effectiuè qualitates. Qui dicunt, quòd considerantur elementa quatenus elementa, quando dicuntur hæ qualitates illorum causæ, idem dicunt: Et subiungunt id patere; quia considerantur in ordine ad mistum. Sed hi facilè refelli possunt. Si enim considerantur, prout miscentur; quia prout miscentur substantiæ sunt (vt dictum est) ergo considerantur vt substantiæ, & sic hæ qualitates sunt causæ illorum, prout sunt substantiæ. Aiunt isti, definitiones harum qualitatum hoc declarare, quòd scilicet considerentur in ordine ad mistum; quia definiuntur in ordine ad mistum. congregare enim homogenea, quod dicitur esse calidi, non est nisi, quatenus calidum se habet ad mistionem. Sed hæc cum pauca diligentia, & valdè leuiter dicũtur. definiuntur enim illę qualitates, vt tales secundum se. Textus 1. quarti Meteororum clarè se habet: *Et alias dictas passiones patientia, & ipsa secundum se*. Et profectò si eędem definitiones habentur in 2. de Generatione, illę debent esse absolute; quia, vt ostendimus, ibi elementorum consideratio est absoluta, vt pręter alia dicta, ex tex. 6. 2. illius de Generatione facile apparet. Vult sumere Arist. contrarietates elementa facientes, illas sumit, quæ in primo Physicor. hę verò sunt absolutæ, & constituentes, non autem relatiuæ ad aliquid. Sed quæso istos. Si hæ non sunt definitiones harum qualitatum in propria natura constitutarum, & secundum se acceptarum, nullibi erunt definitiones harum qualitatum in propria natura constitutiuarum, & secundum se acceptarũ, nullibi erunt definitiones illarum. Pro rei igitur intellectione hoc tenẽdum, quòd actiones sunt duplicis generis. Aliæ sunt, quæ desinunt in se ipsas, vt actio Cytharedi; post eam enim nihil relinquitur. Aliæ, quę desinunt in opus post ipsas manens, vt actio Medici, quæ relinquit sanitatem. Agentia itaque, quæ opus relinquunt, non definiuntur per operationem, sed per illud opus.

Qualitates primæ non sunt causæ elementorum, vt elemẽta sunt, seu in ordine ad mistum.

Qualitates primæ, non definiuntur in ordine ad mistũ.

Actiones duplicis generis.

opus. Sic medicina, non ex his, quæ agit curando, sed ex sanitate est definita. Sic in proposito: operatio calidi est calefacere. Si calidum per calefacere definimus, est petitio principij; quia similiter, æquè notum, & ignotum est vtrumque. Quare per opus, quod est congregatio homogeneorũ, quod sensui euidens est, fuit calidum definiendum; idemq; eadem ratione de alijs quoque fuit faciendum. Per congregationẽ itaque homogeneorum est definitum calidum; quia definit in hanc, tanquam in opus proprium, quare per hoc opus, ad quod permanens primò essentialiter terminatur actio calidi, debuit calidum definiri. Sic autem actio calidi ab eo perficitur. Primò calefacit, rarefacit. Postea tandem relinquitur homogeneum per se congregatum. Ita & Põponacius declarabat. Nec sunt ista in ordine, ad mistum; quia calidum etiã non miscendo idem præstabit. Ad tex. 55. 1. de Generatione. Ad tex. 54. 1. Physicorum. Ad 4. caput primi Meteororum nolo diuinare, quid sint dicturi. Si enim eadem dicant, sat sunt reprobata. Si alia, scio quòd non difficulter poterunt reprobare, ad locos librorum de Generatione passim solent dicere, quòd loquitur circumscriptiuè, vel quòd hæc corpora considerat, quatenus elementa, aut quantum ad agendũ, & alia id genus; quæ omnia sunt satis reiecta. Ad tex. 49. 2. libri eius operis; dicunt particulariter, quòd substantia est contraria substantiæ; quatenus vna forma includit priuationem alterius, aut ratione accidentium propriorum. Ad quæ omnia hoc vnum sufficit. Sunt elementa contraria prout agunt, & patiuntur inuicem: Non possunt, hoc habere ratione priuatiua, ergo debent esse contraria positiuè. Sunt contraria, prout miscibilia: Sunt miscibilia, prout substantiæ, ergo non sunt contraria ratione accidentium, sed ratione substantiali. Vsus autem est Philosophus eo modo loquendi; quia substantia ratione materiæ non est contraria substantiæ, sed solùm ratione differentiarum substantialiũ. Vt respondeant ad tex. 6. eiusdem 2. quibus modis non se contorquent. Qui volunt videri elegantiores, dicunt, quòd

nominat

Margin notes:

Põponacius.

Expenditur tex. 49. lib. 2. de Geratione. Falsum est, quod substantia sit contraria substantiæ, quatenus vna forma includit priuationẽ alterius.

Probatur primò.

Probatur secundò.

Cõfutatur ex positio Aduersariorũ ad tex. 6. 2. de Generatione.

nominat qualitates pro diſpoſitione,ignem pro forma. Contra quam imaginationem ſatis illud eſt, quod eſt clarum; Ariſtotelem ſemper numeraſſe ſubſtantias diuerſas, materiam, formam, & compoſitum. Deinde verò, & illud dicitur, quòd facit ibi elementa ex materia, & contrarietate illa quæ dicta eſt in Phyſicis. Hæc contrarietas eſt contrarietas in ſubſtantia, quare vult contrarietates ſubſtantiales, quæ ſunt iſtæ qualitates: eſt contrarietas formatiua non autem diſpoſitiua, quare gloſa nulla eſt. Eſt tex. 16. quo Philoſophus vocat has contrarietates elementa. Dicit Diuus Thomas, quòd eas vocat elementa, in comparatione coniunctionis, quam habent ſimul; quatenus reperiuntur in elementis. non enim vnica, ſed duæ ſunt in vnoquoque, vt calidum, & ſiccum in igne. Aut quia ſunt primæ aliarum qualitatum, in quas omnes aliæ reſoluuntur; veluti dicimus, primas demonſtrationes, elementa demonſtrationum. Si igitur patebit, quòd dicuntur elementa, prout conſtituunt prima corpora, ſatis etiam patebit vana eſſe dicta Diui Thomæ. Non autem dubium eſt; quin appellet Philoſophus has qualitates elementa, prout coniunguntur ad conſtituenda quatuor ſimplicia corpora. Accipit certè has qualitates, prout habent ſex coniugationes, quarũ duæ non conſiſtunt, vnde remanent quatuor ex quibus eſt numerus elementorum. Quare nihil clarius, quàm quod eas vocat elementa, prout conſtituunt ſimplicia corpora. Sed præterea elementa eas dicit, ſumens appellationem ex tex. 6. prout id ex quo tanquam ex principio, res conſtituuntur elementum dicitur ex 1. Phyſicorum; elemẽta autem ex primo Phyſicor. dicuntur, quatenus conſtituunt rem, quare hic dicuntur elementa, vt rem conſtituunt. Id autem eſt in ratione cauſæ formalis, quare ſunt formæ ſimplicium corporum. Inſuper illud aduertatur. Has qualitates vocari elementa eſſe antiquum. Sic apud Veteres habemus, quod calidum, & frigidum, humidum, & ſiccum generationis elementa conſtituebant, in 1. lib. Phyſicor. Hæc igitur appellatio eſt antiqua,

D. Thomas.

Reprobatur expoſitio. D. Tho. ad text. 16. 2. de Generatione.

Qualitates vocari elemẽta, eſt antiquum.

& eam non sumpsisset Aristot. diuersa ratione ab antiquis. Hi verò dicunt elementa, quia sint prima principia substantialia, ex quibus prodeat in natura omne compositum. Quare & ex hac appellatione censere debemus, idem Aristotelem sibi voluisse, quod & illi proponebant; nempè vocare has qualitates elementa; quia omne naturale essentialiter constituant, simplicia corpora informando, & proinde ad omnium generationem ab illis se se extendendo. Quid si etiam appellauerit Philosophus has qualitates elementa tanquam illa, quæ constituunt elementa, sicut hominem rationalis nomine solemus appellare; quia per rationalem constituitur? Quòd verò dicit D. Thomas facilè tollitur. Non enim vmquam accidentia in eodem coniuncta, vt color, & sapor in pomo elementa appellabimus; quia simul iuncta faciant quandam pomi qualitatem. non enim simul coniunguntur; quia sit vnum ratio alterius, sed quia ambo accidũt vni subiecto. Et quod dicitur de demonstrationibus, est longè diuersum; quia primæ demonstrationes insunt alijs virtute tantum, istæ autem qualitates sunt actu, vbicunque in sublunaribus sunt aliquæ qualitates. Sed iam ostensum est ex ipso text. quòd dicuntur elementa in ordine ad primorum corporum constitutionem. Vnde hę sunt fugæ, & vanitates.

CAESARIS CREMONINI CENTENSIS

De Formis Elementorum, SECTIO TERTIA.

CAP. PRIMVM.

De qualitate aliqua proponuntur, & circa Elementorum qualitates nonnulla considerantur.

PROPOSITA Aristot. sententia, propositisque simul illius fundamentis, & reprobatis glosis, quibus eam inficiunt Aduersarij, reliquum est deuenire ad solutionem argumentationum eidem oppositarum. Antea verò quàm eas accipiamus redarguendas, operepreciũ est nõnulla proponere circa qualitatem, quę & pulcherrima sunt, & apud veteres multum, & valde sapienter considerata. Prosunt autem plurimum ad eam, circa quam nunc versamur, veritatem dilucidandam. Inde igitur sit exordium. Dicebat Simplicius in Prædicamentis, non

Simplicius in Prædicamentis.

non esse facilè discernere, cur vna, & eadem existens qualitas, in aliquibus sit substantialis, in aliquibus accidentalis: veluti de albedine contingit, quæ in cerussa, & lacte est substantialis, in alijs verò multis est accidentalis. Subiungebat in principio Prædicamenti Qualitatis in fine quartę speciei, attendendum esse: vtrum omnis qualitas possit fieri substantialis, & addebat, necessarium esse in corporibus concedere aliquas qualitates fieri alicubi substantiales. albedo enim, cum sit accidens, fit substantialis in cerussa, & niue. Hæc Simplicius, & alia ad idem attinentia. Veruntamen rem, quam proponit, penitus exponere non videtur, solùm refert placita multorum. Vix quicquam videtur determinare; tã quam ille, cuius studium est in eo libro scribere de diuitijs expositorum, vt ipse dicit in comento ante primam speciem qualitatis in fine. Nobis verò vtinam hoc detur, vt quæ ipse mouit, nos resoluamus. His autem insuper accedit noua consideratio, quæ hic ad nos pertinet. Dicendum enim est nobis; non solùm quo modo vna, & eadem qualitas, vni sit substantialis, alteri accidentalis; verum etiam, quomodo vna qualitas eidem, modo sit substantialis, modo accidentalis. Quinimò, quod maius est, quomodo vna qualitas eidem simul sit & substantialis, & accidentalis, quæ omnia, quàm parum trita sint, nemo non videt, quàm autem certa, & indubitata, forsitan videbit. Estò principium à definitione qualitatis, quam tradit Aristot. hoc pacto: *Qualitatem autem dico, secundum quam quales quidam dicuntur*. Quærebam ego, quod & Simplicius quęsiuit, quæ nam definitio est ista? An non sic licet definire omnia accidentis prædicamenta? Vt dicere possimus. Quantitas est, secundum quã quantum quiddam esse dicitur. & de alijs eodem modo? Minimè omnium, neque profectò censendum est, Aristotelem nugatum fuisse in definienda qualitate, sed putandum est, ipsum, qui ait: *Dico*. Vt consueuit, cum rei valde consentit, scitè, & sapienter definiuisse. Hæc sanè, quæ in hac definitione ponitur est conditio essentialis, & propria qualitatis;

Albedo in cerussa, & lacte est substantialis secundum Simplicium.

Albedo est substantialis etiã in niue.

Expenditur qualitatis definitio ab Aristot. tradita.

tatis; eius enim esse consistit in haberi, & participari. Sic dicebat Aristoteles secundas substantias; quia sunt, quatenus sunt participatæ primis, non significare hoc aliquid, sed potius quale aliquid. Quod autem dico est tale. Si sit albedo separata, & imparticipabilis, talis albedo non erit dicenda qualitas; quia esse qualitatis est haberi, & participari, quod tali albedini proponitur minimè conuenire. Propter hoc igitur sic definiuit Philosophus qualitatem, & rectè. Sic enim expressit esse proprium qualitatis, quandoquidem nō est aliud esse qualitatis, & aliud participari, sed esse qualitatis in participari est collocatum. Vnde fuit dictum, & rectè, quòd in omnibus Prędicamentis est qualitas, quatenus in illis sit participatio; ita vt etiam in qualitate sit qualitas, pro varietate participationis. Sed quæret aliquis rationem, cur esse qualitatis in participari sit constitutum. Ratio autem inde est accipienda. Ens, vel est substantia, vel est accidens. Accidentis esse est inesse, vt tritum est. Substantia verò aut est materia, aut forma, aut compositum. Compositum ipsum de se subsistit, materia, & forma sunt in alio, sed cum hac differentia. Matèria est tanquam pręsuppositum, forma tanquam aduenìens ad inexistendum materiæ. Vnde esse formæ materialis de qua nunc loquimur, est inesse; non solum composito, cuius est pars substantialis, sed etiam materiæ, quæ præsupponitur ab ipsa. Quapropter materia, respectu formæ, habet rationem subiecti, quamuis non sit propriè subiectum. & forma, respectu materiæ habet rationem eius, quod est in subiecto, quamuis nec forma sit propriè in subiecto. Cum igitur conueniat, & accidentibus, & formis substantialibus inesse alicui præsupposito, nec conueniat formis substantialibus, quatenus sunt formę substantiales; quia non posset conuenire accidentibus: nec conueniat accidentibus, quatenus sunt accidentia; quia non posset conuenire formis substantialibus, oportet, vt conueniat vtrisque per aliquod ambobus commune; quid autem hoc sit, ita est indagandum. Quod inest alicui, facit illud differre

Qualitatis esse, est collocatum in participari.

Qualitas est in omnibus Prædicamentis.

ferre ab alio, quia se habet, vt actus ad potentiam. Quod facit differre vnum ab altero, est differentia; prout definitur, quòd differentia est id, quo differunt à se singula: Differentia denotat qualitatem, vnde etiam prædicatur in quale, quocirca remanet, vt qualitas sit illud commune, propter quod & formis, & accidentibus competit inesse alteri; adeò vt amborum eatenus sit inesse, quatenus eorũdem est qualia reddere. Inesse autem alteri nihil aliud est, quàm haberi, & participari ab illo, quare esse qualitatis est positum in haberi, & participari. Cum igitur esse qualitatis sit constitutũ in participari, pro varietate participationis oportet, vt qualitas varium esse sortiatur. Potest igitur participatio eius, quod alteri inest, esse tribus modis. Vno modo, vt participatum sit tanquam superueniens substantiæ iam existenti; & sic prouenit qualitas, quæ propriè est qualitas, per quam sic acceptam constituitur inter prædicamenta, prædicamentum qualitatis. Secundò modo vt participatum, sit simul veniens, & concomitans principia essentialiter rem constituentia, qualis est albedo niuis. Tertiò modo, vt participatum se habeat tanquam essentialiter constituens, veluti caliditas ignis. Cur autem id habeat caliditas, vt cum sit pura caliditas, debeat participari tanquam constituens, hæc est ratio; quia primum, quod participatur materiæ, quæ est subiectum generabilium, & corruptibilium, debet esse actiuum, & passiuum. inde enim est generatio, & corruptio, in qua consistit essentia talium compositorum; primum autem actiuum, & passiuũ sunt istæ qualitates, quare non possunt aliud consequi. Et sic oportet vt participentur tanquam constituentes. Et hæc etiam est ratio, cur graue, & leue non possint esse primæ differentiæ constituentes elementa; quia non sunt actiuæ, & passiuę, non attinent ad generationem & corruptionem, quam primò debent respicere principia constituentia hæc materialia sublunaria. Hęc autem dicuntur de participatione caliditatis, prout est talis caliditas, & purè caliditas; alioquin caliditas vniuersaliter accepta

Participatio eius, quod alteri inest, triplex.

Cur caliditas, & aliȩ qualitates primæ participentur in materia tanquam constituentes.

Grauitas, & leuitas cur non constituāt elementa.

accepta participari poteſt, & ſubſtantialiter, & accidentaliter, vt ſupra ſtatutum eſt. Et Græci, qui dixerunt has elementorum differentias eſſe medias inter ſubſtantiam, & accidens, ad id reſpexerunt; quòd ſcilicet ſunt qualitates talis naturæ, quæ & accidentaliter non conſtituendo, & ſubſtantialiter conſtituendo, poſſunt participari. Semper tamen, cum exiſtent, aut erunt ſubſtantiæ, aut erunt accidentia; quia altero determinatorum modorum erunt participatæ. Participatur etiam neceſſario caliditas prima, vt determinans, quia (vt ſupra oſtendimus) participatur immediatè materiæ primæ; materia verò prima eſt de ſe indeterminata, & determinabilis; nullo autem modo determinans. Ad quę ſita modò in principio poſita ex his non eſt difficile reſpondere. Quando quęritur, cum eadem qualitas vni ſit ſubſtantialis, alteri accidentalis, ita reſpondetur; quia ſubſtantialiter vni participatur, alteri accidentaliter: vni tanquam determinans, alteri minimè: vni tanquam eſſentialiter, & intrinſecè conſequens, vt niuis candor, alteri tanquam extrinſecè ſuperaccedens. Quando quęritur, cur non ſecundum omne eſſe, vna qualitas eſt ſubſtantialis, reſpondetur; quia non adhuc habet participationem ſubſtantialem: nondum habet perfectum, quod requiritur: nondum eſt tantum progreſſa, vt determinet. Sic contingit in habitu, & diſpoſitione, nondum ſcilicet eſt habitus; quia nondum diſpoſitio eſt tantum progreſſa. Sic Architas definiebat habitum, quòd eſſet extenſio diſpoſitionis. Nihil autem nouum eſt, perfectum, & imperfectum alicubi ſpecie differre: ita perfecta quantitas, & imperfecta ſpecie differunt. Sic auctio, & diminutio ſpecie differunt. Vnde cum quæritaliquis, quid aſſumat qualitas, vt fiat ſubſtantialis, cum non eſſet. Reſpondendum eſt, quòd aſſumit eſſe perfectum, ratione cuius ſit determinatiua eius, cui ineſt. Aduertebatque Simplicius, quòd ſi magis, & minus ſint ſecundum determinationem materiæ, variant ſpeciem; ſunt enim ſecundum hęc ſpecificæ differentiæ. Quando etiam quęritur, cur caliditas

Cur eadem qualitas vni ſit ſubſtantialis, alteri accidentalis.

Cur non ſecũdum omne eſſe vna qualitas eſt ſubſtãtialis.

Architas.

Quid aſſumat qualitas, vt fiat ſubſtãtialis, cũ non eſſet.

Simplicius quomodo dicat magis, & minus variare ſpeciem.

tas

tas in misto, vt mista est substantialis, vt in corpore accidēs, & recedens accidentalis; adeo vt in eodem simul vna qualitas sit substantialis, & accidentalis. Ex eodem fundamento respondetur; quia vt in ista, est substantialiter participata, vt extra circunfusa, vel tanquam effectus internę, vel quouis alio modo est accidentaliter participata. Ergo (inferunt) idem est substantia, & accidens. Sed de hoc infra suo loco. Hunc istud subiungamus, quòd istę qualitates in diuersis speciebus Prędicamenti Qualitatis, reponuntur diuersa ratione. Vt disponentes, aut mansiuę, in prima specie, habitus, & dispositionis. Vt se habent ad facile, aut difficulter agendum, patiendumve, in secunda. Vt mouentes sensum, aut ortæ ex passione, in tertia. Ex quo doceri possumus, nihil esse nouum, quod etiam diuersa ratione; quę id valeat secum ferre, in diuersis reponantur Prędicamentis: sicuti figura, secundum multitudinem linearum, & planorum accepta, est quantum; secundum superficiei figurationem accepta, est quale. Dicuntur autem istę qualitates differentię, quia simpliciter faciunt differre; ipsis tamen substantialibus existentibus propriè, & peculiariter hoc nomen remansit; quia sic maximè propriè faciunt differre. Has in Prædicamentis Philosophus solum in qualitate enumerauit, quia (vt omnes norunt, & benè exponit Simplicius) enoematicè ibi loquebatur; sermone scilicet accepto ab ijs, quæ nota sunt omnibus, & communiter confessa. In Metaphysicis, vbi rem substantialiter considerabat, proponens qualitatem, in ea etiam substantiales differentias proposuit. Quando tandem quęritur, vtrum omnis qualitas possit fieri substantialis, respondendum est, quod non; quia illę quę non sunt nactæ nisi superuenire substantiæ iam existenti, & propriè qualitatis nomen sibi vindicant, non possunt fieri substantiale. Conformem doctrinam huic à nobis propositæ, quæ est ex Antiquis grauioribus, & doctioribus Aristotelis expositoribus, habet etiam Plotinus in libro de Essentia, & Qualitate. Et licèt ante caliditatem videatur in igne ponere aliam formam,

Qualitates elemētares in diuersis speciebus prædicamenti qualitatis reponūtur.

Figura est in Prædicamēto quantitatis, & qualitatis.

Qualitates elementares, cur dicantur elementares differentiæ.

Cur Arist. in Prædicamētis ipsas recēsuit in Prędicamēto Qualitatis.

Non omnis qualitas potest fieri substantialis.

Plotinus.

formam, non tamen vult aliud ſubſtantialiter ignem conſtituere, quàm caliditaté: eſt enim illa forma antecedẽs ratio ſeminalis communis, quam Platonici ponunt ex Ideis fluere in animã, & naturam: Nulla tamen alia forma ignis eſt ignis, quàm caliditate: Et ratio illa ſeminalis, igni appropriata, nihil aliud eſt, quàm uis calefactiua, & caliditatis productiua, vnde omninò vult Plotinus caliditate ignem formari, vt & alij Platonici. Quamuis Ficinus rem ſatis tenere non videatur. Hoc autem, quod dico ego, eſt aliqua ex parte apud Simplicium 3. de Cœlo com. 7. Sed de Platonicis, & Platone nihil nunc ſtudemus, quod alio in opere erit agendum. Reſoluenda nunc videtur difficultas oriens ex eo, quod habet Philoſophus de qualitate in Metaphyſicis. Ibi enim cũ propoſuiſſet differentias ſubſtãtiales eſſe qualitates, poſtea particulariter enumerat calidum, frigidum, humidum, & ſiccum, tanquàm paſſiones. Si hæ ſunt enumerationes diſtinctæ, vt ſunt, ergo non poſſunt iſtæ eſſe qualitates ſubſtantiales. Pro cuius dubitationis dilucidatione, conſideranda in primis eſt differentia Metaphyſici, & Logici in Prædicamentis proponendis: Et pro ea accipienda, animaduertenda hæc ſunt. Ariſt. in Prædicamẽtis, differentias definientes compoſita non dicit eſſe ſubſtantias, quoniam eas ipſis compoſitis contraponit: In 5. verò Metaphyſices partes definientes, & quod quid eſt ſignificantes, dicit eſſe ſubſtantias. In Prædicamentis non ponit differentias ſubſtantiales inter qualitates: In Metaphyſicis maximè. In Prædicamentis ponit tempus, tanquàm quantum de ſe: In Metaphyſic. tanquàm quantum per accidens. Magna igitur diuerſitas inter has perſcrutationes. Hoc itaque rectè Porphyrius, & Græci; quòd in Prædicamentis ennoematicè, & introductoriè: In Metaphyſicis ſubſtantialiter: In Metaphyſicis enim vt entia conſiderantur: In Logicis vt prædicamenta; ideſt in ordine ad prædicandum. In Logicis hæc Prædicamenta rebus accomodantur, ſecundum famam acceptis: In Metaphyſicis ſecundum naturam. Quòd verò attinet ad propoſitum noſtrum, Qualitates numerantur & in ſubſtantia, &

Ficinus.

Simplicius.

Locus Ariſto. in Metaphyſicis explicatur: in quo dicitur calidum &c. eſſe paſſiones.

Differẽtia Metaphyſici, & Logici in tractatione Prædicamentorũ.

P in qua-

in qualitate; quia, quod est substantiale, diuersa ratione & qualitas, & substantia dici potest. Quantùm verò ad qualitates elementorum, hæ tripliciter numerari debuerunt. Primò fuerunt ponendæ simul cum alijs in substantia, tanquàm partes definitionis elementorum. Secundò fuerunt ponendę in qualitate, vt qualitates substantiales; quia sicut differentia substantialis, prout est pars definitionis, dicitur substantia, sic prout rem substantialiter denominat, dicitur qualitas. Tertiò fuerunt ponendę, vt passiones; quia non omnibus modis acceptę sunt differentiæ constituentes, & substantiam determinantes, sed aliquo modo solùm; vt supra est dictum, alio verò modo sunt tantum passiones. Pro qua doctrina oportet meminisse, quòd Aristoteles dicebat in Prędicamento Qualitatis: *Si est alius modus qualitatis*. Vbi duo habentur. Primum quòd alijs etiam modis dicitur qualitas, præterquam illis, qui sunt ibi commemorati; quod postea illud est, quod in Metaphysicis ponitur. Alterum, quando ait, qui dicuntur, quod nobis significat, in Prædicamentis positos fuisse modos famosos, quia ibi ennoematicè res agebatur. Enumerantur igitur hæ qualitates, etiam vt passiones; quia prout singulę accipiuntur sunt passiones: Intelliguntur autem, prout sunt tales differentię, & differentiæ elementa formantes, simul cum alijs, in prima enumeratione fuisse propositæ.

Qualitates elementorũ tripliciter numerari debuerũt.

Locus in cap. de qualitate explicatus.

CAP. SECVNDVM.

Quod vni est substantia, alteri non est accidens, primo Physicorum tex. 27. & 30.

VTVNTVR Aduersarij hac propositione, & ostendunt, has qualitates non posse esse elementis substantiales, quia sunt in mistis accidentia. Auctor rationis videtur fuisse Auerroes: & confirmat eam. Quia si quod vni est substantia, alteri esset accidens, sequeretur aliquid in vno esse de

ſe de vno Prædicamento, in altero de alio; quod poſtea alij minus oculati ita inuertunt, ſequeretur (aiunt) ſubſtantiam eſſe accidens. Accipiunt autem propoſitionem ex tex. 27. primi Phyſicorum, vbi habetur: *Quod verè eſt nulli accidit.* Et ex tex. 30. eiuſdem libri, vbi habetur: *Sed quod verè eſt aliquid, ſit accidens nulli.* Quando iſtis obijcitur, quod intellectio in Deo eſt ſubſtantia, in homine eſt accidens, limitant propoſitionis veritatem in vniuocis; quæ tamen propoſitio, ſi ab Ariſtotele eſt prolata his locis, ſimpliciter, & vniuerſaliter eſt prolata. Hęc igitur iſti. Nos autem totum oppoſitũ videmur ſtatuiſſe, cum poſuerimus eaſdẽ qualitates vni eſſe ſubſtantiales, alteri accidentales. Pro qua noſtra determinatione eſſe id poteſt, vel ex ipſo Auerroe, quòd figura circularis Cœlo eſt ſubſtantialis; quę tamen ligneo globo eſt accidentalis. Verba Auer. ſunt 2. de Cœlo com. 59: *Et iam declaratum eſt, quòd figura eſt de rebus eſſentialibus in corporibus Cæleſtibus; quia ſunt animata.* Quod quidem, ſi etiam non dicat Auer. facilè ita poteſt comprobari. Figura circularis in Cœlo, aut eſt accidens, aut proprium, aut differentia eſſentialis, quæ de Cœlo prædicetur in primo modo dicendi per ſe. Non eſt profectò accidens, aut ſeparabile, aut inſeparabile; quia ſubiectum talium accidentium poteſt eſſe ſine illis; Cœlum verò neutiq; erit ſine figura circulari. Quod probatur ex Ariſt. 2. de Cœlo tex. 22. vbi ita ſcribit: *Neceſſe eſt, Cælum habere hanc figuram.* Arguo ego ſic. Quod neceſſe eſt eſſe, eſt impoſſibile non eſſe, quare impoſſibile eſt Cœlum eſſe ſine figura circulari, atque ideo non poteſt figura circularis eſſe Cœlo accidens, aut ſeparabile, aut inſeparabile. Non eſt etiam proprium; quia proprium ſumit in ſui definitione ſubiectum: Figura circularis non ſumit in ſui definitione Cœlum. Pręterea proprium poteſt ſeparari cognitione ab eo cuius eſt proprium: Figura circularis à Cœlo nequit etiam intellectu ſeparari. etenim, ſi animo Cœlũ concipias, quod ſit quinta ſubſtantia, vt Ariſt. tenet, nec ſit circulare, concipies mente Cœlum, quod non erit Cœlum. Relinquitur

Quomodo limitent propoſitionem.

Auer. 2. de Cę lo comm. 59. vult figuram, eſſe Cœlo ſubſtantialem.

tur igitur, vt sit differentia substantialis, essentialiter consequens principia Cœli constitutiua, & sit de Cœlo in primo modo dicendi per se; quare alijs existens accidẽtalis erit Cęlo substantialis. Addat insuper aliquis, quòd forma est accidens materię; quæ tamen complet essentiam cõpositi. Multiplex autem in horum ratione est error. Primò propositio, quam isti proponunt, nõ est illa, quæ scribitur à Philosopho locis adductis. In illis quippe solum habetur, quod verè ens nulli accidit; verè autem ens dicitur substantia de se subsistens. Et est maximè verum, substantiam de se subsistentem nulli accidere; quia est propemodum contradictio de se subsistere, & alteri inhęrere. Intellectus autem iste illius propositionis est certus, & indubitatus, si aduertatur disputatio eius loci, quę est contra Parmenidem; qui nomine verè entis, intelligebat ens de se subsistens. Ita eo loco habet Simplicius: *Idcirco oportet supponere, eos dixisse vnum ens, quod propriè est, et maximè ens, quod Plato quidem vocaret per se ens, seu id ipsum ens, Arist. quòd verè est. Nam apud Aristotelem idẽ significat proprie ens, & maxime ens, quod sanè substantiam esse existimat, velut per se subsistentem.* Sed hoc facilè cognoscitur legendo Philosophi literam, vbi ponens, quod verè est, subdit, non alteri inexistens. Et quod hoc esset placitum Pythagoreorum cognoscitur ex tertio Phycor. tex. 36. vbi ipsi ponere dicuntur numeros tanquàm per se subsistentes, cum velint, ipsos esse rerum principia. Non est autem, quòd isti dicant, verè ens significare formam, iuxta dictum in secundo de Anima tex. 7: *Quod propriè est actus est.* Siquidem id, eo loco dicitur de forma in comparatione ad materiam. Dicit enim ibi Philosophus, non esse quærendum, quomodo ex anima, & corpore fiat vnum, postquam vnũ est actus, aliud potentia; quia licet sint duo entia, simul coniuncta, vni cum tamen est esse eius, quod ex illis componitur; quia vnica est actualitas, à qua primò, & propriè prouenit esse rei, & esse vnum eiusdem. Similiter de materia loquutus est Aristoteles, quã cùm in 2. de Anima tex. 2. dixisset non esse hoc aliquid,

Ostenditur qđ ꝓpositio, quã adducunt, nõ est Arist.

Simplicius.

Explicatur locus 2. de Anima tex. 7.

aliquid, tamen primo Physicorum tex. 66. in comparatione ad priuationē dixit esse hoc aliquid. Eo igitur loco id dicitur comparatiuè, hic autem non solùm simpliciter res est accipienda; sed etiam prout ad Parmenidem pertinet, qui habet eum sensum, quem propusuimus. Secundò deductio, quam isti sumunt, ergo substantia erit accidens, non valet per regulam à coniunctis ad disiuncta, si enim ita dicamus: Quod vni est substantia, alteri est accidens, ergo accidēs est substantia, non valet consequentia. Neque enim id valet, quando in adiuncto est aliqua oppositio, qualis hic est euidens, vnius, & alterius. Sicuti non valet: Generatio vnius est corruptio alterius, ergo generatio est corruptio. Et sicuti nō valet: Dominus Sempronij est seruus Titij, ergo Dominus est seruus. Isti igitur sunt parùm oculati, & ideò leuiter cadunt. Deductio enim Auer. est, non quod substantia erit accidens simpliciter, sed quòd id, quod in vno est de vno Prædicamento in alio erit de altero, quare nō est Auerroes, vt ipsi sunt, contra regulam. Sed quantum ad Auerroem, decipitur & ipse. Nihil enim inconuenit, quòd in vno est de vno Predicamento, in alio esse de altero, vt satis supra est ostensum. Tertiò malè id dicitur, quod vni est substantia, nam substantia nulli est substantia, sed de se est, & de se subsistit. Sensus igitur huius propositionis (si vllo modo est accipienda hęc propositio) debet esse huiusmodi: Quod vni est substantiale, alteri non est accidentale. Multum autem differunt de substantia, & substantiale. Substantiale denominat, & est in alio. Substātia de se subsistit, & nō est in alio. Talis autē est hęc differentia, vt obseruaret Plotinus, triangulum esse quantū, triangulare esse quale, quare hæc tantam habent varietatē, vt distinguantur Prædicamentis. Accepta autem hoc pacto propositione (qui etiam sensus non videtur prorsus alienus à sensu Auerrois) tunc propositio est falsa; quia quod vni est substantiale, potest alteri esse accidentale, vt supra fuit ostensum. In proposito autem nostro de elementorum qualitatibus, estò vera propositio, vt cūque isti volunt. Dicimus (& verè, & rectè dicimus) quòd caliditas

Ostendit, non valere consequentiā, quā ex ppositione Aduersarij deducunt: ergo substātia erit accidens.

Ostenditur qđ Auer. malè propositionē intelligit.

Propositio malè enunciatur.

Quis possit esse sensus propositionis allatę.

Substantia, & substantiale multum differunt.

Plotinus.

tas ſub ea ratione, qua eſt ſubſtantialis igni, nulli eſt accidẽtalis. Quandocunque enim talis fuerit caliditas, qualis eſt, quæ ignem conſtituit: ſi purè erit talis, erit purus ignis: ſi remiſsè erit talis, erit remiſſus ignis, vt in miſto contingit. Aduertatur tandem, quòd iſtè qualitates, prout in miſto ſunt temperatę, non ſunt accidentia, ſed ſunt de ſubſtantia miſti; ſunt enim illius materia, quę materia eſt ſubſtantia. Res ſatis eſt de ſe clara, quòd hæ qualitates materia ſint in miſto; ſed ad hanc veritatem eſt Ariſt. 2. de Partib. Animalium cap. 1. vbi ita loquitur: *Humiditas enim, & ſiccitas, caliditas, & frigiditas materia corporum ſunt compoſitorum*. Dicunt autem quidam, has eſſe diſpoſitiones, & ideo dici materiam. Sed ſi hac ratione ſunt materia miſti; quia ſunt diſpoſitiones ad formam miſti, erunt etiam materia in elementis; quia ſecundum illos ſunt etiam diſpoſitiones ad illorum formas. Quod autem nunc dicit Philoſophus de miſtis, nullibi vnquam dicit, de elementis; vt ſcilicet has qualitates, vocet illorum materiam. Petam autem ego. Nonne ſunt materia miſti, prout ſimul ſunt temperatæ? Ergo verè, non diſpoſitiuè ſunt illius materia; quia verè materia in miſto eſt temperamentum miſcibilium ad differentiam materiæ ſimplicium corporum; talis autem materia miſti conſtitutiua eſt ſubſtantia, ergo hę qualitates, ſi ſunt talis materia in miſto, in illo ſunt ſubſtantiæ, ergo malè dicunt, has qualitates in elementis eſſe ſubſtantias, in miſtis accidentia.

Caliditas quo modo nulli accidentalis.

Qualitates elementares in miſto ſũt ſubſtãtiæ, & ſunt materia.

CAP. TERTIVM.

Exponuntur quædam Auerrois rationes.

AVERROES in conſideratione, quam habet 8. Metaphyſicor. com. 5. ponit tres rationes ſatis difficiles, ad oſtendendum has qualitates non poſſe eſſe ſubſtantiales differẽtias elementorum, quas non oportet prætermittere: Sunt autem tales. Primò quidem arguit hoc pacto. *Si differentiæ*

rentiæ ſubſtantiales elementorum ſunt in iſtis qualitatibus, ſequitur inconueniens, quòd aliquid ſit in ſe qualitas, & in reſpectu alterius ſit ſubſtantia. Eſt autem hoc inconueniẽs; quia ſubſtantia non dicitur in reſpectu. Secunda ratio eſt talis. Si calor eſt differentia ſubſtantialis ignis, tunc compoſita habebunt definitionem ignis. Subiungit verba difficilia: *Componitur ex ſubſtantia, & qualitate, aut componitur ex ſubſtantia, & accidentibus, & erit vnum in actu, duo in potentia. & ex hoc apparet, quod calor non poteſt eſſe differentia ſubſtantialis.* Hęc ita explicamus. Loquitur Auerroes de compoſitis, quæ ſunt miſta; nomen enim compoſiti miſtis propriè tribuitur ad differentiam Simplicium, & ait. Calidum componi ex ſubſtantia, & qualitate, ideſt miſtum calidum vltra propriam naturam, & ſubſtantiam, per quam exiſtens miſtum ab igne eſt diuerſum; habet etiam caliditatem, per quam eſt calidum, quare componitur ex ſubſtantia ſua, & qualitate caliditatis. Id autem poteſt intelligi dupliciter. Vno modo vt componatur ex ſubſtantia, & qualitate eadẽ ratione, qua componitur ex ſubſtantia, & accidẽtibus. Aut vt componatur ex ſubſtantia,& qualitate adeo, vt illa qualitas ſit differentia ſubſtantialis, ſicut eſt differentia ſubſtantialis in igne. Si eo modo componitur ex ſubſtantia, & qualitate, quomodo eſt compoſitio ex ſubſtantia, & accidentibus, oporteret, vt quicquid in illo eſt compoſitum, eſſet vnũ actu, quamuis plura potentia; quia per ſubſtantiam rei, & accidentia illi inexiſtentia fit vnum actu, licèt plura ratione, ſed hoc non erit, dum ſupponimus caliditatem eſſe ſubſtantiam. nam duo erunt in eo eſſentialia diſtincta, illius ſcilicet ſubſtantia,& caliditas; ita vt idem miſtum ſit habiturũ propriam formam. Deinde etiam, quia caliditas eſt ſubſtantialis differentia, ſit habiturum tanquàm formam ipſam caliditatẽ, quare erit duo actu; neq; enim hę duę formę ſunt ſubordinatę, vt trigonum tetragono. Colligit itaq; (vt ſummatim dicam) quòd poſita caliditate differentia ſubſtantiali, fieri nõ poteſt, vt ſit in miſto calido eo modo, quo accidentia illi inſunt.

Prima ratio Auerrois contra veram ſententiam de formis elementaribus.

Secũda ratio.

insunt. Si igitur (quod est alterum membrum) sit in mistis tanquam differentia substantialis, & per modum differentiæ substantialis, veluti est etiam in igne per aduersarios, sequitur inconueniens propositum; quòd, si mistum calidum, est compositum ex caliditate, quæ est differentia substantialis ignis, omne mistum calidũ habebit definitionẽ ignis: Quia quod habet differentiam substãtialem alicuius, habet illius definitionem. Tertia ratio est facilior, & dicit, quòd, si calor in aliquo est accidens, vt supponitur esse in mistis; in aliquo substantia, vt supponitur esse in igne, calor dicetur æquiuocè eo modo, quo ens de substantia, & accidẽte. Quibus quidem rationibus nobis non est difficilè occurrere. Prima quidem ratio in duobus deficit. Primò cum dicit, quod est qualitas in se, malè dicit; supponit enim qualitatem in se acceptam nullum dicere respectum, quod est falsum. Nam si eius esse consistit in participari, dicit respectum ad participans. Secundò cum dicit: substantia, non dicitur in respectu, æquiuocum facit. debet enim dicere substantiale non est in respectu; quia nunc sumus in substantiali, non in substantia: & tunc est falsum eius dictum, substantia non dicitur in respectu; quia materia, & forma sunt ad aliquid, 2. Physic. tex. 26. & substantiale est alicui substantiale. Non est autem hic respectus, qui dicat substãtiam rei respectiuam, sed respẽctus qui dicit ordinẽ huius ad illud, & respectum existentiæ, secundum quem etiam dicuntur esse ad aliquid, materia, & forma: Et dicit respectum habentem substantiale fundamentum, quod quidem fundamentũ non existat, nec possit existere sine illo respectu. Nullum præterea est inconueniens, vt Græci rectè dicunt, vnum esse directè, quod ipsi dicunt secundum profunditatem, in Prædicamento Qualitatis; secundũ latitudinem verò in Prædicamento Substantiæ. Sic differentiæ in qualitate reponuntur, secũdum profunditatem, secundum latitudinem, prout diuidunt genera substantiarum, in Prædiamento substantiæ. Sic, & has qualitates nihil inconuenit poni in Prædicamento Qualitatis, secundum profundita-

Tertia ratio.

Solutio rationum Auer.

Ad primam.

ditatem, vt species quædam qualitatis; quæ tamen ponãtur secundum latitudinem Prædicamenti, vt sunt differẽtiæ substantiarum constitutiuę in Prædicamento substantiæ. Secunda ratio sic tollitur. In mistis est caliditas ignis temperata, quę est essentialis misto; quia est de illius materia, & est differentia substantialis: nõ autem mistum ideo est ignis; quia illa caliditas non est pura, qualis requiritur in constitutione ignis, sed est commista alijs contrarijs qualitatibus, & continetur simul cum alijs, quibus est temperata à forma misti superaddita. Alia quælibet caliditas, quæ sit in misto, inest illi extrinsecus, neque est tanquam differentia substantialis, neq; est caliditas ignea, cũ non habeat conditiones igneę caliditatis, quas si habeat, necessario erit ignis aut purus, aut temperatus. Inest autem prorsus extrinsecè, & cum mistum non compleat substantialiter nec quantum ad materiam, nec quantum ad formam, est illi accidentalis. Ad tertiam rationem dicitur, quòd aliud est distinguere substantiam, & accidens, aliud distinguere substantiale & accidentale. Ens, prout dicit essentiam existentem, diuiditur in substantiam, & accidens, prout dicit entitatem essentiæ, abstrahendo ab existentia, diuiditur in substantiale, & accidentale. Vnde, in proposito: Diuisio sic debet fieri. Entitas essentiæ, quæ in alio est, vel sic est in alio, vt compleat eius essentiam, vel sic est in alio, vt non compleat illius essentiam.

Ad secũdam.

Ad tertiam.

Primo modo est substantialis. Secundo modo est accidentalis; sicque nulla inconueniens ęquiuocatio. Ita Ammonius diuidebat passiones in Prædicamento qualitatis, quòd aliæ sunt, quæ complent subiectum, aliæ quę non complent subiectũ. Et sic patet, quòd quæ Auerroes dicit, nihil faciunt contra id, quod nos diximus.

Ammonius.

CAP. QVARTVM.

Substantia non habet contrarium in Prædicamentis, cap. de Substantia, & alibi.

VTVNTVR hoc dicto, quod & Aristot. in Prędicamentis, & alibi varia occasione, vt in primo Physicorum tex. 52. & in quinto tex. 10. Cõstituunt autem ex ipso rationem huiusmodi. Non est dubium, formas esse substãtias; etenim sępe alibi, sed clarè 2. de Anima tex. 2. diuiditur substantia in materiam, formam, & compositum. Si ergo formę sunt substantiæ, & substantia non habet contrarium, euidẽs est, non posse formas elementorum esse contrarias. Hę verò qualitates, quas nos formas esse dicimus, dubio procul sunt contrarię, quarè hę qualitates non possunt esse formę substantiales. Pro solutione huius argumenti, quod directè opponitur superioribus nostris dictis, quibus posuimus oportere formas substantiales esse contrarias, habendum primò est, quod Græci dicunt id enunciari de substantia composita, quæ est subiectum accidentis; de tali enim substantia est sermo in Prædicamentis, non autem de substantia, prout etiam comprehendit differentias substantiales, quę alioqui ibi non reponuntur in prædicamento. Nec dicat aliquis verificari debere etiam illud de secundis substantijs, quæ sunt genera, & species, quæ non videntur esse substantiæ compositæ, quæ subiaceant accidentibus; nam etiam ipsę sunt compositę, & considerantur, vt subiectum accidentis. Vnde dicitur ibidem accidentia illis inesse, quatenus ipsę insunt primis substantijs. Hęc sanè est Gręcorum glosa, & vera. Sed etiam inter Latinos, Albertus hoc idem habet. Ita ipse loquitur in Prædicamento Substantiæ: *Nunc dicendum videtur de proprietatibus substantiæ, secundũ quòd substat accidentibus.* Et loquens de hac proprietate sic habet: *Et secundum hanc contrarietatem proprium est substantiæ, secundum quòd substat,*

Dilucidatur propositio adducta: substantia non habet contrarium.

Albertus.

& subiectum est, non habere contrarium; secundum autem quòd substantia dicitur elementaris forma, quæ est differentia, sic habet contrarium. Sed vltra omnes, explicatio est ipsius Aristotelis in primo Physicorum tex. 67. quod notauit etiam Albertus. Cùm ibi Aristoteles fuisset argumentatus, contraria non posse esse principia; quia substantia non sit cõtraria substantię, ponens postea principium soluendi argumenti, ait: Sat esse, quòd inter principia est materia, quæ nihil habet cõtrarium, & facit; vt quamuis sit contrarietas inter principia substantialia, tamen verificetur dictum illud in argumento acceptum, quòd substantia non habet cõtrarium, tanquam proponat Philosophus de substantia composita, & de substantia, quæ est subiectum, non autem simpliciter de quauis substantia; quod enim substat vtrique contrariorum, nequit habere contrarium. Qua quidem in re id est obseruandum, quod supra statuimus, Prædicamenta poni, prout est famosum, quare cum substantiæ maximè dicantur corpora, vt habetur etiam 2. de Anima tex. 3. nomine substantiæ, quę Prædicamentum constituit, intelligit Philosophus substantiam compositam. Aduertendum est præterea, quòd Veteres ponebant omnia composita eiusdem naturę generabilis, & corruptibilis, vnde vlterius est tenendum, quòd Prædicamentorum traditio non sit cum illa differentia, quòd quædam composita sint corruptibilia, quędam æterna, sed quæ de substãtia accidentibus subiacente enũciantur illa omnia, enunciantur tanquàm omnis sit variabilis, & corruptibilis, alioquin vix tueri possemus, Cœlum esse substantiam; quia non habet substantiæ proprietatem, quę est recipere contraria secundum sui mutationem. Sed & vltra hoc ad memoriam est reuocandum dictum Græcorum, quòd formę elementari secundum se totam acceptę non est cõtrarium. Circa quod dictum aliquis dicet, quomodo ergo corrumpitur forma elementi, si corruptio est ratione contrarietatis? & quomodo hoc non pugnat cum eo, quod dictum est, oportere formas elementorum esse contrarias? Respondetur,

Quomodo formæ elementares nõ sint cõtrariæ.

quòd satis est in prima differentia esse contrarietatem; quia prima differentia est, penes quam est constitutio formę. Sed vlterius dicet aliquis. Cum formæ elementorum sint primę formę, quæ sunt in materia, illę inter ipsas, quæ sunt contrarię, vt ignis, & aqua debent secum ferre extremam oppositionem formę, & priuationis. Quòd si priuatio dicit contrariam formam, oportet illas duas formas esse extremè cōtrarias, quod quidem, & supra statutum est. Quomodo ergo consistit dictum Græcorum, quòd non sint contrarię secundum totum esse, si oportet vt habeant extremam contrarietatem, quæ videtur requirere, vt sit secundum totum? Responsio est eadem; quòd scilicet satis est, ad hoc vt sit extrema contrarietas inter formam ignis, & aquę, hanc contrarietatem esse penes primam formalem differētiam extremam. Sed instabit iterum, quomodo fieri potest, vt caliditas ignis secum habeat aliquas qualitates, quas non habeat extremè oppositas aquę frigiditas, si illi ponitur extremè opposita? Aut quomodo cū summa caliditate stat summa leuitas, summa raritas, talis siccitas; cum summa autem frigiditate non stant penitus opposita? Videtur profectò, si vnum extremū quatenus extremum sibi adiungit aliqua, quòd aliud extremum quatenus extremū debeat sibi adiungere extremè opposita. Pro explicatione totius difficultatis, ita progredi oportet. Primò quidem illud obseruandum est, quòd dicitur 8. Physicor. text. 55. omnium passionum principium est raritas, & densitas, quæ nihil aliud sunt, quàm congregatio, & disgregatio materię. Sic & primo Meteororum cap. 4. cum generantur elementa, congregata, & disgregata materia generantur. Secundò est obseruandum, quòd hę qualitates sunt actiuę, & passiuę, atque his debent formari elemēta, nō autem grauitate, & leuitate; quia prius est esse, quàm moueri: Deindè per has fiunt elementa, & prius est fieri, quam esse. Præterea in eo habent essentiam elementa, quo primò à Cœlo distinguuntur; à Cœlo autem primò distinguuntur per esse generabile, & corruptibile, quare per id debent

Declarat Græcorum dictū, quòd elementa nō sunt cōtraria secundū totū esse.

Elemētorum formę nō sūt grauitas, & leuitas.

debent constitui, per quod sunt generabilia, & corruptibilia, quod est per istas qualitates. His itaq; sic positis, illa disgregatio, quæ est raritas materię, & illa congregatio, quæ est densitas materiæ, sunt illud ter dimensum, de quo Græci, & de quo nos infra. Pro determinatione modò obseruandum est, quòd summa raritas est propè motum, summa densitas est procul à motu; vt habetur in illo 1. Meteoror. cap. 4. cum summa autem densitate non potest nasci qualitas maximè actiua; quia vbi plus de materia, ibi minus de forma, cuius est agere, quare cum densum habeat plus de materia, quàm de forma, habet etiam plus de passiuo, quàm de actiuo. Non potuit itaque in densissima materia esse summa frigiditas, sed quoniam densitas facit ad maximam partium vnionem, cum qua stat etiam difficulter esse terminabile termino alieno, ideo præuenit siccitas, & dominata est frigiditati, quare frigiditas, quatenus est summa; quia non est, nisi quatenus in materia, non requirit materiam maximè densam; vbi autem non est maximè densa materia, ibi est necessaria humiditas; quia ad defectum densitatis statim sequitur benè terminabile termino alieno. Quoniam autem illa non est summa disgregatio, cum qua possit esse humiditas, ideò fit humiditas dominata. Quibus sic stantibus de quæsito ita respondetur. Frigiditas est qualitas materialis, vnde requiritur pro ea in summo constituenda materia proportionata. Ad aliam enim formam alia materia 2. Physic. 26. Non habet itaque frigiditas aquæ secum omnia extrema caliditati igneę; quia materię conditio, in qua debet reponi, requirit vt non habeat: & quia grauitas, & leuitas sequuntur multitudinem aut formę, aut materiæ. Ideò non est etiam extrema grauitas in aqua; quia non extrema materiæ multitudo. Vnde frigiditas aquę remanet extremè opposita caliditati ignis, iuxta conditiones, quas extremas habere possunt ista elementa, prout id patitur materiæ, in qua sunt amborum formæ, & naturalis vtriusque illorum conditio. Vt enim etiã de igne dicamus, est in eo materia maximè disgregata, quæ

Quare in terra nõ est summa frigiditas.

statim

statim facit summum calorem, cum ipso verò non stat humiditas, sed siccitas dominata, vt in terra est dominans, atque hoc pacto siccitas est cum maxima materię disgregatione, & congregatione diuersa ratione; cum maxima congregatione dominans, & propria; cum maxima disgregatione dominata, & consequens. etenim raritas, quæ facit humiditatem habet terminos, qui exceduntur à raritate ignis. Reuertamur modò, & dicamus propter hanc propositionem, quæ est de substantia, quatenus est composita ex materia, non esse negandam contrarietatem inter formas, quæ alioquin necessaria est, vt sint generabiles, & corruptibiles, vt dixerunt Simplicius & Ioannes Grāmaticus, & nos supra in elementis particulariter determinauimus. Libet autem etiam nunc aliquid adiungere. Considero disputationem Aristotelis in primo de Cœlo à tex. 20. Vult Philosophus ibi probare Cœlum esse incorruptibile: Accipit pro medio, quod non habet contrarium: Probat quod non habet contrarium, quia motus circularis non habet contrarium; à vacuitate quippè cōtrarietatis in motu arguit vacuitatem contrarietatis in substantia; sicut etiam à motus diuersitate fuit deducta diuersitas in substantia. Ex hac Philosophi disputatione arguo ego sic. Sicut se habet contrarietas motus, quantum ad contrarietatem substantiæ negatiuè, ita se debet habere quantum ad eandem substantiæ contrarietatem affirmatiuè. Sicut ergo Philosophus ex non contrarietate motus, arguit non contrarietatem in substantia; ita ego ex contrarietate motus, arguo contrarietatem in substantia; à motu enim ad naturam, quæ est principiū motus fit argumentum. Hic magnus quidem est modus, sed facile (vt solent) illum eximūt Doctores. Duplex (aiunt) est contrarietas, positiua, & priuatiua: In substantia est contrarietas priuatiua, non positiua: & hæc contrarietas priuatiua sufficit ad generandum, vt ait Aristot. in primo Physic. Non nego ego esse in substantia contrarietatem priuatiuam; quia hęc est in omni Prædicamento, sed dico, quòd ita dicere, nihil est dicere. Si enim (vt dicit Simplicius,

Ex 3. de Cœlo tex. 20. colligitur esse cōtrarietatē positiuam in substantia.

cius,& nos supra diximus)non sit in substantia contrarietas positiua, non potest substantia generari. Sed quæso istos. Contrarietatem hic quærit Philosophus,ratione cuius sit in motu contrarietas: Contrarietas in motu debet esse per id, quod sit principium motus, non est autem priuatio principium motus, sed forma; quare contrarietas formalis debet accipi ex contrarietate motus,sicut ex non contrarietate accipitur non cōtrarietas formalis. Dictum igitur Philosophi: Substantia non habet contrarium, semper est de substantia composita materiali, substantia autem formalis habet contrarium, alioquin nullo modo posset substantiæ esse generatio. Hinc Simplicius rectè ibi com.36. obseruabat, duo dici de substantia in Prædicamentis, & quòd non habet contrarium, & quòd est susceptiua contrariorum. Quorum, si secundum ei cōuenit,prout est subiectum, & prout substat; certè eadem ratione ei conuenit,& primum. Dicebat autem contrarietatem esse in accidentibus, loquens de illa contrarietate, in qua dicitur substantia recipere contraria, quare loquitur de contrarijs superuenientibus subiecto in esse constituto. Quæ contraria dicit qualitates; quia propriè dicitur qualitas illa, quæ superuenit, dicitque accidentia; quia tales qualitates sunt accidentia, & vocat differentias, quatenus fiunt in substantia per substantię mutationem, & faciunt eam à se ipsa differentem,communi quippe differentię appellatione. Agnoscit autem clarè ibidem substātiales differentias constituentes,& habet de cōtrarietate in substantia eam doctrinam, quam nos diximus.

Simplicius.

CAP.

CAP. QVINTVM.

Videtur autem ſubſtantia non ſuſcipere magis, & minus. In Prædicamentis cap. de Subſtantia.

HOc eſt etiam ex illis argumentis, quibus præcipuè, poſitæ opinioni de formis elementorum, Aduerſarij contradicunt. Dicunt enim, ſubſtantiam non admittere magis, & minus, quare in formis elementorum; quoniam ſubſtantiæ ſunt, non debere id reperiri: Quod ſi nos contendimus oppoſitum, nihil aliud facimus, quàm contẽdere, quòd formæ elementorum non ſint ſubſtantiæ. Dùm verò ipſi volunt, has formas non ſuſcipere magis, & minus, quid non dicunt de miſtione? quid non dicunt de generatione ſubſtantiali? Dicebat Zimara, has formas non habere magis, & minus; tamen intendi, & remitti ratione qualitatum. Cum tamen Auerroes, cuius ille eſt imitator, de his formis aliquando vtrumque concedat. Dicunt alij, quòd miſtio eſt ratione qualitatum, & quod generatione non eſt niſi mutatum eſſe, de quibus omnibus alibi plenius dicetur. Nunc id ſolum dicere oportet, quod facit ad rem, in qua ſumus. Conſideranda igitur eſt hæc propoſitio. Subſtantia non ſuſcipit magis, & minus, quod ita facimus. Sermo in Prædicamentis eſt de ſubſtantia, (vt Scholę loquuntur) ſecundum quod ſubſtat accidentibus. Cum igitur ſubſtent accidẽtibus & particularia, & vniuerſalia in particularibus cõtenta, ideo cognoſcitur ordo inter ſubſtantias, quem Græci appellant ſecundum profunditatem. Ita vt vna ſubſtantia dicatur prima ſubſtantia, & maximè ſubſtantia; vt aliquis homo, alia dicatur minus ſubſtantia, & ſecunda ſubſtantia; vt ſunt genera, & ſpecies primarum ſubſtantiarum, hæc enim non ſubſtant accidentibus de ſe, ſed eatenus illis ſubſtant, quatenus, & ip-

Zimara.

De qua ſubſtantia tractetur in Prædicamentis.

& ipsa inexistunt primis substantijs. Sic etiam ex secundis substantijs species dicitur magis substantia, quàm genus; quia propinquius se habet species, quàm genus ad substandum. Quo circa in hoc sensu non repugnat substantiæ habere magis, & minus, neque id, quod ita de substantijs constituitur, contradicit ei, quod postea subiungitur, & quod à nobis est considerandum; substantiam scilicet non habere magis, & minus. Quando enim Philosophus pronunciat hanc proprietatem, quòd substantia non suscipit magis, & minus, considerat substantias (vt Greci dicunt) secundum latitudinem; ideſt comparando indiuiduum indiuiduo, speciem speciei, genus generi, quæ æqualiter sunt substantiæ; quia equaliter singula subsistit, & substat suis accidentibus. Pro euidentiori huius dicti explicatione, diligenter perscrutari oportet, quid nam significet illud magis, & minus, quod remouetur à substantia. Non est autem dubium, illud magis, & minus, quod à substantijs, prout diximus, acceptis remouet Philosophus esse illud, quod sequitur ad contrarietatem; illud verò magis, & minus quod sequitur ad contrarietatem, pertinet ad rei essentiam: quippe quia illud dicitur minus tale, quod minus habet de tali essentia; hoc autem minus habere de tali essentia prouenit, vt plurimum, & secundum euidentiam, quam Philosophus in Predicamentis intendit; quia illud magis participat essentiam sui oppositi. Dicitur enim aliquid magis tale; quia minus habet de opposito: vt albius, quod est nigro impermistius tex. 19. quinti Physicor. Vnde id magis & minus, de quo loquimur, attenditur penes essentiam; quia, quod sibi admiscet essentiam contrarij, minus habet propriam, atque ideò hoc magis, & minus sequitur ad contrarietatem; non tamen ad omnem; sed ad eam, quæ possit misceri. Cum itaque substantia non habeat contrarium, idcirco rectè intulit Philosophus, quòd nec habet magis, & minus; non habet autem contrarium quantum ad se totam, quare nec magis, & minus quantum ad se totam. Et sic intelligenda est illa substantiæ proprie-

Quomodo intelligẽdũ sit, substantiã nõ suscipere magis, & minus.

Quod significet illud magis, & minus, quod remouetur à substantia.

tas; de ſubſtantia ſcilicet, quatenus ſubſtat accidentibus, & de illo magis, & minus, quod ſequitur ex contrarij miſtione. Verumtamen hic non ſiſtit dubitatio contra nos. Nam Porphirius loquens de differentia, dicit: differentias per ſe, non ſuſcipere magis, & minus; & dicit Ariſtoteles 8. Mephyſic. tex. 10. formas eſſe, vt numeros, & ideò non ſuſcipere magis & minus, quemadmodum numeri non ſuſcipiunt magis, & minus, quæ ſunt de directo contra nos, ponentes qualitates elementorum eſſe illorum formas; ſi quidem hę qualitates euidenter ſuſcipiunt magis, & minus. Sed præterea circa hoc magis, & minus applicandum ſubſtantiæ, aut remouendum à ſubſtantia, ſunt & aliæ difficultates, quæ videntur non facilè poſſe reſolui; quod tamen, vt noſtra poſitio ſit firma, tentandum eſt facere. Primò igitur habet Philoſophus 2. de Generatione & Corruptione, quòd caliditas eſt minus in aere, quàm in igne. Ex hoc dicto aliquis colliget: Caliditas, vt tu dicis, eſt de forma vtriuſque elementi, ſi eſt magis in vno, quàm in alio, ergo forma ſuſcipit magis, & minus, quod negat Porphirius, negat Ariſt. Secundò eo recepto, quod poſuimus in explicatione proprietatis circa magis, & minus, oritur talis difficultas. Si magis, & minus, vbi eſt cōtrarium, fiunt per contrarij admiſtionem, ſequetur caliditatem aeris, quę eſt minus caliditas, quàm ſit caliditas ignis; poſtquam habet contrariam frigiditatem, eſſe caliditatem miſtam: & tunc aer non erit corpus ſimplex. Tertiò Philoſophus primo de Generatione tex. 18. habet quòd ignis eſt magis ſubſtantia, quàm terra, & ideò ponit generationem ignis eſſe generationem ſimpliciter; generationem terrę eſſe generationem ſecundum quid, quocirca ibi ſtatuit vnā ſubſtantiam compoſitam eſſe magis ſubſtantiam altera, ac proinde ſubſtantiam, quantum ad ſe totam habere magis, & minus. Horum omnium reſolutio quærenda. & ne multis verbis agamus, incipiamus à poſtremo, & dicamus. Illud dictū primi de Generatione text. 18. intelligi de ſubſtantia, non prout ſubſtat accidentibus, ſed intelligi ſecūdum eſſe illius perfe-

Recenſentur, & tollūtur aliquæ obiectiones, probantes formas nō ſuſcipere magis, & minus.

Declaratur locus 1. de Gener. tex. 18.

perfectius, & imperfectius, magis formale, & minus formale. Quantùm ad aliud, concedimus, etiam in illis, in quibus est contrarium, non tamen omne magis, & minus fieri per admistionẽ contrarij. Hoc adnotabat Alexander de elementis 1. Meteor. com. 13. Quapropter illud magis, quod est in caliditate aeris, & ignis dicit qualitatem essentiæ, non admistionem appositi; quia scilicet caliditas ignis sit in materia magis disgregata, & sit caliditas dominans; caliditas verò aeris sit in materia minus disgregata, & sit caliditas dominata; quod quidem non prouenit ex adiunctione, aut diminutione alicuius gradus, sed ex sola essentiæ qualitate, quæ est talis in tali materia. Cùm itaque verum sit, quod diximus, Aristotelem remouere à substantia magis, & minus, quod est per admistionem contrarij, non tamen verum est, omne magis, & minus esse per mistionẽ contrarij, immò circa hoc ponimus istas tres conclusiones. Prima, non omne magis, & minus est per admistionem contrarij. Secunda alicubi est contrarium, vbi non est magis, & minus, quia scilicet illa contraria non sunt inuicem miscibilia, vt par, & impar. Tertia reperitur magis, & minus, vbi non est contrarietas, veluti in lumine apparet; ibi enim videmus magis, & minus, cum tamen lumen non habeat contrarium, si quidem tenebrę nihil ponunt. Quod quidem magis, & minus nascitur vel ex maiori, aut minori dispositione recipiẽtis, vel ex maiori, aut ex minori virtute agentis. Sed hæc ex abundantia. Ad rem modò propositam reuertentes, dicimus, quòd illud magis, & minus calidum in duobus elementis non est per admistionem contrarij, sed ex qualitate essentię, vnde aer minus calidus igne est tamen ęquè simplex: Ammonius hanc dubitationem ita considerabat. Vis videre (inquit) quòd illud magis, & minus, quod à substantia negatur, & ponitur in accidentibus, non est illud, quo dicitur aer minus calidus igne? ex hoc videas, quòd illud magis & minus, quod ponitur in accidentibus est tale, vt non variet speciem, magis enim album, si fit minus album, est tamen in eadem specie album;

In caliditate aeris, & ignis est magis, & minus sine admistione contrarij.

Ammonius

magis verò, & minus in caliditate aeris, & ignis variat speciem. Si enim caliditas aeris transit ad caliditatem ignis, aer destruitur; si caliditas ignis, ad caliditatem aeris, ignis perit. Magis ergo & minus, quod ponitur in his caliditatibus, est magis, & minus denotans talem essentiam perfectius, & imperfectius se ipsa se habentem, quod à formis, & substantialibus differentijs nullo pacto remouetur, aut ab Aristotele, aut à Porphirio. Quorum dicta in capite sequenti diligenter considerantur.

CAP. SEXTVM.

Formæ rerum sunt veluti numeri 8. Metaphysicorum, tex. 10.

QVIA ab hac propositione habentur etiam aliæ difficultates attinentes ad elementa, & ad formas naturales, ideò illam accipimus per se cõsiderandam. Re postea, quam agimus, quomodo scilicet sit magis, & minus in formis, benè benè determinata, mouebimus obiectiones contra determinationem, & illas remouebimus. Accipiunt igitur ex hac propositione multa. Primò dicunt, non posse fieri, vt formæ habeant magis, & minus; quia id in ea Aristoteles penitus negat. Deinde inferunt, ergo formæ non habent contrarium; quia numeri non habent contrarium. Præterea accipiũt, formas esse indiuisibiles, quia numeri sunt tales. Contra nos verò possunt particulariter accipere, quòd nos ponimus plures qualitates in constitutione vnius formæ cuiuslibet elementi ordinatas, quæ tamen non se habent inuicem, vt numeri. Nos igitur considerabimus propositionem Aristotelis, & de singu lis aliquid dicemus; plenè autem de eo, quod facit ad rem nostram. Est itaque Philosophus eo loco in disputatione contra Platonẽ, & Pytagoreos; cumq; superius, quantùm ad aliqua circa formas, Platonem reprehendisset

differt, venit ad id, quod est magis Pitagoricum; formas scilicet esse numeros, circa quod primo (vt mihi videtur) corrigit illorum dictum, quantùm ad hoc, quòd si volunt formas numeris similes ponere, decet, vt eas cum numeris conferãt numeratis, non autem cum numerantibus; quia formę non sunt de se, sed solùm, quatenus sunt in materia. Ponit deinde ipse similitudinem numeri, & formarum, quadruplicem. Primò sicut numerus resoluitur in indiuisibile, sic & formę resoluuntur in indiuisibile; accipientes enim formam compositam, vt animalis, dum illam diuidimus, vt facimus definientes, venimus ad vltimam differentiam, quæ non est resolubilis in aliam speciem, atque ideò dicitur indiuisibilis. Secundò est similitudo numeri, & formarum; quòd sicuti adiuncta, vel ablata vnitate, non est idem specie numerus, sic etiam in forma, & rei definitione se habet, adiũcta enim, vel ablata vna differentia non est eadem definitio: vt si definitioni animalis addas rationale, non est amplius eadem species, sed fit homo, sicuti etiam, si auferas sensitiuum, fit planta. Tertia similitudo in hoc consistit, quòd sicut in numeris id, quod facit vnum, est intrinsecum, sic & in rerum definitionibus id, quod facit eas esse vnum, est intrinsecum. Quàm declarationem eo loco supprę ssam, ponit postea tex. 15. & ait, causam vnionis in omni compositione naturali, nullam aliam esse, præterquam illam, quæ facit, vt id, quod est potentia, fiat actu. Consimile dictum illi, quòd habetur 2. de Anima tex. 7. Quarta similitudo in hoc est posita, quòd sicuti numerus non habet magis, & minus, sic neque forma. Hæc Philosophus. De singulis autem, quæ fuere à principio proposita dicendum est, & ex istis Philosophi dictis aliquæ considerationes interim habebuntur. Pro indiuisibilitate quidem formarum (quod erat primum propositorum) benè intelligenda, propono considerandum id, quod habet Philosophus 2. de Anima tex. 30. & 31. Dicit ibi, animam similem magnitudinibus; magnitudines autem sunt diuisibiles, quare (vt volunt alij) ex hoc loco Metaphysicor. accipere

Quadruplex similitudo inter numeros, & formas.

pere formarum indiuisibilitatem, sic poterit aliquis ex illo animastico velle accipere formarum diuisibilitatem. Sed quantum ad hoc aduertendum est, quòd hi duo loci non discrepant, nam Philosophus dicit animam similem figuris, & figuræ resoluuntur etiam ipsæ, vt numeri in indiuisibile; quia triangulum, in quod resoluuntur, est indiuisibile in alias figuras, quare quantum ad hoc hi duo loci idem dicũt. Contra illos autem, qui volunt accipere ex dicto isto, quòd formæ sunt, vt numeri, formas non esse extensas, non habere latitudinem, sed consistere in indiuisibili, benè facit hoc dictum secundi de Anima. Videmus enim, quòd non minus eas cõparat Philosophus magnitudinibus, quam numeris; non est autem dubium, quin in magnitudinibus sit extẽsio, & latitudo. Ad quæsitum igitur deuenientes dicimus, illud, quod accipitur ex vtroq; dicto de indiuisibilitate, non aliud esse, quàm hoc solum, quod venimus ad formam, quæ non est diuisibilis in alias species, prout est constitutiua sui compositi, sed est vltimus actus illius, vltra quem non est alius. Non tamen hoc facit, quin forma in materia sit extensa, & quin vltima etiam illa differentia indiuisibilis; quia vltra nõ habet speciem, in quam resoluatur; habeat latitudinem, veluti est de rationalitate, quæ cum sit in homine indiuisibilis in aliam speciem; habet tamen magis, & minus viuidum, prout magis, vel minus materiæ dominatur. Quantùm attinet ad contrarietatem formarum, quam volunt inde accipere, certum est, ibi non poni similitudinem inter numeros, & formas, quantum ad hoc, nec oportet egredi similitudinem, quam ponit Philosophus. Quamuis enim aliqua in nonnullis sint similia, in nonnullis tamen possunt esse etiam repugnantia, & dissimilia. Ex tertia similitudinem elicio ego aliquid contra illos, qui ponunt qualitates accidentarias dispositiuas, vt fiat vnio formæ substantialis cum materia hoc pacto. Si ad coniungendas primas formas primæ materiæ, requiritur dispositio diuersi generis accidentaria, scilicet tempore antecedens (vt illi ponunt) erit aliquid causa vnionis

Contra qualitates accidentales dispositiuas.

materiæ

materię cum forma, quare non erit verum, quod dicitur 2. de Anima tex. 7. & 8. Metaphysicor. tex. 15. Hoc autem, puto ego, nullum velle dicere, quocirca nec deberent velle dicere illas dispositiones. De alio, quod est contra nos, statuimus vnam qualitatem principem, quæ sibi alias secundum latitudinem coordinat; dictũ autem Philosophi est de compositione formarum secundum profunditatem, quæ etiam sola est compositio. De postremo verò, quod est ad rem, quam nunc agimus; quod scilicet sicuti numerus non suscipit magis, & minus, sic nec forma debeat suscipere magis, & minus, solutio est in ipso Aristotelis textu. Dicit enim, quòd secundum se non habent magis, & minus, habent autem ratione materię, prout magis, & minus ei participantur. Satis itaque fuerit rem declarare, quę plenissimè declarabitur, si cõsiderauerimus, quid significet hoc suscipere magis, & minus ratione materiæ. Arist. ipse in Prędicamento Qualitatis, cum dixisset qualitati conuenire magis, & minus, ponit exceptionem ex Iustitia, Sanitate, & similibus, proprietatemq; ad qualia perstringit; ac si concedat, aliqua secundum se, & in abstracto, non suscipere magis, & minus, quæ tamen in concreto, & in participatione illud recipiant, quatenus participantur magis, & minus ipsi subiecto. Hoc illud est, quod dicit de formis substantialibus, cum ait, illas non secundum se, sed ratione materiæ habere magis, & minus; ac si dicat formas suscipere magis, & minus, quatenus perfectius, aut imperfectius materiæ participantur. Sed dicet aliquis, hoc est commune accidentibus, & formis. Cur igitur suscipere magis, & minus dicitur esse proprium accidentium? Res (ni fallor) ita dilucidatur. Accidentia, in quibus propriè est magis, & minus: veluti albedo, sic habeat magis, & minus, vt in quouis gradu consistant, formę elementorum non ita, sed cum fiant per gradus, non tamen consistant in quolibet gradu. Nam si cesset agens operari, in pristinum reuertuntur, vt patet de aqua calefacta, & de vapore, qui eo destitutus, quod caliditatem conseruabat, in aquam redit.

Quid sit suscipere magis, & minus ratione materiæ.

Quomodo formę elementares suscipiunt magis, & minus, diuerso modo ab accidentibus.

redit. Hæc ſanè varia conditio ſignificat, quod accidentia non ſolum ratione variæ participationis, qua ſe habent ad ſubiectum; verum etiam ex ſua intima natura habent magis, & minus, & quòd formę ſubſtantiales non habent magis, & minus, niſi ea ratione, qua materię inexiſtunt; nõ enim poſſunt inexiſtere, quomodocunque inexiſtant, niſi ab aliquo ſuſtineantur. Suſtinentur quidem in ſubiecto ab efficiente ſemper operante, & ipſum ſubiectum tranſmutante; veluti in aqua, quæ calefit, & in vapore, vt ſatis patet, quia pereunt illo ceſſante ab actione: quod enim ſubiectũ cooperabatur efficienti, non eſt, remoto efficiente, ſufficiens ad operandum. In miſto verò, vbi elementa amiſerunt excellentias, ſuſtinentur à forma miſti: Et hæc eſt differentia formarum, & accidentium; quia accidentia in ſe conſiderata habent ex natura propria varios gradus exiſtendi, formę minimè. Et certè ſi conſideremus modum loquendi Ariſtotelis, cum magis, & minus à ſubſtantia remouet, & ponit in accidentibus, videbimus, quòd intelligitur à Philoſopho magis, & minus, non quantum ad intentionem, & remiſſionem in fieri, ſed quantum ad eſſe, & exiſtere, taleque magis, & minus neque etiam conuenit formis ſubſtãtialibus; quia quantum eſt de ſe, non quomodocunque poſſunt exiſtere, & licet in fieri, dum materię participantur, habeant magis, & minus; attamen in facto eſſe, non habent, niſi rationibus prædictis. De Porphirio ex his facilè eſt dicere, quòd ſcilicet cũ ait, differentias per ſe non ſuſcipere magis, & minus, accipit differentias in abſtracto, in natura ſua, vt ponat diſcrimen inter illas, & differentias per accidens; quæ etiam in abſtracto, in natura videlicet propria habent magis, & minus, varios ſcilicet eſſentiarum gradus, in quibus ſine variatione ſpeciei poſſint exiſtere, vt de facto exiſtere videntur materiæ participatę.

Reſponſio ad locũ Porphirij.

CAP.

CAP. SEPTIMVM.

Respondetur obiectionibus.

NON sufficit rem ipsam benè determinare, sed oportet etiam remouere oppositiones. Donec enim persistant, non est satis firmata determinatio. Contra hoc igitur ex Aristotele à nobis constitutum; formas scilicet, prout in materiam recipiuntur, habere magis, & minus, sunt obiectiones: multę quidem, sed non omnes dignæ, quæ recenseantur. Aliquas itaque potiores ego recipiam, quibus operam dabo vt satisfiat. D. Thomas in opusculo de mistione arguit hoc pacto. Omnis forma suscipiens magis, & minus, est diuisibilis per accidens, quatenus subiectum eam potest participare magis, & minus; secundum verò id, quod est diuisibile, siuè per se, siuè per accidens, potest esse motus continuus. Si igitur formę elementorum suscipiunt magis, & minus, generatio, & corruptio elementorum erit motus continuus. Præterea omnis differentia secundum formam substantialem variat speciem, in eo verò, quod habet magis, & minus differt id, quod est magis ab eo, quod est minus, immò videtur ei contrarium. Si itaque forma ignis suscipit magis, & minus; magis facta, vel minus facta, speciem variabit, nec erit eadem forma sed alia. Et quoniam aliquis Auerrois Sectator posset dicere, formas elementorum hoc particulariter habere; vt scilicet habeant magis, & minus, quòd alię formę substantiales non habent ob suam imperfectionem; quia sunt medię inter substantiam, & accidens, quod videtur Auerroes dixisse 3. de Cœlo com. 67. Ideo D. Thomas contendit, vt ostendat, non posse dari medium inter substantiam & accidens, his argumentis. Si esset medium inter substantiam, & accidens, esset medium inter affirmationem, & negationem. Sed hoc non est dicendum, quare neque illud. Probat cõsequentiam; quia idem est esse medium inter substantiam,

Obiectiones contra doctrinam præcedẽtis capitis.

Ratio prima D. Thomæ.

Ratio secũda.

Responsio Auerroistarum.

Impugnat D. Thomas talẽ respõsionem. Primò.

ſtantiam, & accidens, & eſſe medium inter eſſe in ſubiecto, quod eſt proprium accidentis, & non eſſe in ſubiecto, quod eſt proprium ſubſtantiæ. Deinde ſubiungit, ridiculum eſſe ponere medium inter ea, quæ non ſunt vnius generis; quia medium, & extrema oportet eſſe eiuſdem generis, vt oſtenditur 10. Metaphy. quare cùm accidens, & ſubſtantia non ſint eiuſdem generis, ridiculum eſſe inter illa, velle medium cõſtituere. Sunt & alij qui putant impoſſibile eſſe formas elementorum ſuſcipere magis, & minus, & multa dicunt. Sequetur (inquiunt) idem numero eſſe ignem, & aquam; dabitur enim aliquid, in quo pro dimidio ſit remiſſa forma ignis, & pro dimidio introducta forma aquæ. Quo circa; quoniam non eſt abolita tota forma ignis, erit ignis; quoniam pro dimidio eſt introducta forma aquæ, erit aqua, atq; ita idem erit ignis, & aqua. Habent alia eiuſdem farinę, quę conſultò prætermittuntur; neque enim id valent, vt debeant recenſeri. Ad hæc reſpondere tentandum eſt. Et quod ad primum attinet, puto ego eſſe falſum, generationem non eſſe continuam. Quod, cùm aliquando per ſe ſit diſputandũ, nunc pro re, quæ agitur, ita ſit demonſtratum. In 3. Phyſic. certè motus compręhendit generationem, vt quod ab alijs omnibus diſtinctum, dicitur autem 1. tex. Motus eſt de numero continuorum. Si hęc propoſitio habet motum communiter acceptum pro ſubiecto, ergo communiter debet eſſe vera, quare oportet etiam eſſe verum generationem eſſe continuam. Cum definit poſtea motum Philoſophus, definit ipſum, quòd eſt actus entis mobilis, quatenus mobile. Ibi Auerroes com. 6: *Et ſimiliter etiam apparet ex hac definitione continuatio motus*. Quare ibi in motu definito agnoſcitur continuitas, atque ideò generatio ęrit continua. Certè autem hæc definitio amplectitur generationem, prout eſt diſtincta ab alijs; ibi enim habetur, vt de alijs habitum fuerat: *Generatio eſt actus generabilis*. Quapropter non video quomodo generatio non ſit ponenda continua, vt etiam alij motus. Declarabat deinde Philoſophus tex. 11. in qua rei con-

ditione

Impugnat ſecundò.

Argumẽtum aliorum.

Reſpondetur rationibus D. Thomę.

Ad primam.

Generatio eſt continua.

ditione esset motus, & dicebat, tunc non esse motum, quando res est adhuc in termino à quo simpliciter, neq; quando est in termino ad quem, sed quando ab vno discessit, nondum in alterum venit. Hoc profectò communiter dicitur, quare debet etiam conuenire generationi, quocirca generatio est continua, vt alij motus. Immo hoc obseruo, quòd Philosophus vtitur exemplo ędificationis. Quod quidem (vt Simplicius adnotabat com.8.) est exemplum accommodatum mutationi substantiali. Dicatur præterea: Motus qui ponitur in definitione temporis est motus, qui fuit definitus in 3. motus ibi definitus comprędendit generationem, ergo in generatione est tempus, & prius & posterius, ergo generatio est successiua. Ommitto nunc, quæ clarissimè ad hanc veritatem dicuntur 6. & 7. Physicorum & peto ab istis quam glosam afferent ad Philosophi dictum 2. Metaphysic. tex.7. vbi habet, quòd generatio est media inter esse, & non esse, & quod fit inter existens & non existens. Certè id ponit apertè generationē esse successiuā, & quod fit, fieri successiuè. Dicent fortè id dici in accidentibus, sed Arist. est in tractatu de progressione causarum simpliciter in infinitum: Et pręterea simul cum eo, qui discendo fit sciens, commemorat mutationem aeris in aquam, quæ fit (ait ipse) corrupto altero. Hæc autem alibi latius considerabimus. Interim tamen non debemus prætermittere aliqua, quæ contra hoc dicuntur. Aiunt primò. Quid ergo differet generatio à motu, si est successiua, vt motus? Subiungunt, si generatio est successiua, erit medium inter ens, & non ens. Possunt addere, quod Aristot. declarans in 5. Physicor. text. 26. quid sit id, quod dicitur inter, dicebat inter non esse in contradictorijs, sed in contrarijs, & dicit communis Schola, transitus de non esse ad esse formę substantialis, fit in instanti. quod dixit etiā Simplicius 5. Physicorum com. 9. Quomodo igitur si hæc sunt, quæ nunc dicta sunt, possunt illa esse, quæ nos prius diximus. Propter hanc verietatem, varia etiam dicta fuerunt de generatione. Aliqui, quòd est tantum mutatum esse; quia

Obiectio prima, quòd generatio nō est continua.

Obiectio secunda.

Obiectio tertia.

Simplicius.

eſt terminus alternationis antecedentis. Alij, quòd ſit motus compoſitus cum alteratione. Contra omnes iſtos ſunt argumenta allata, & cõtra hoc ſecundum particulariter illud eſt, quòd Ariſtotelis locis adductis eam conſiderat diſtinctam ab omnibus alijs. Contra primum iam diximus cũ loquuti fuimus de diſpoſitionibus, & valent ſimiliter contra idem omnia hic dicta. Reſolutio verò ſic habeatur. Philoſophus opportunè res conſiderat, & aliquando (vt Scholæ dicerent) in ſua formalitate, veluti in 2. de Generatione facit; totam enim elementorum tranſmutationem, quatenus faciliusinuicem mutentur habẽtia Symbolum, & ex duobus tertium generetur, conſiderat non in re, prout ſit, ſed in ratione ſolùm; illa enim non ſic audienda, quaſi in natura ſic fiat. etenim ſi mutatur aer in ignem, non manet caliditas, niſi genere eadem: & ſi ex aqua, & igne fit aer, non manet caliditas, & humiditas, quæ fuit in aqua & igne, ſed ſolùm eadem genere. Sic etiam dicũtur, quę dicuntur de tranſmutatione immediata vnius in aliud elementum, & omninò (vt notabat Ioannes Grammaticus comm. 18.) ibi ratione ſola veritas quęritur, non etiam re ipſa. Hoc eodem modo 5. Phyſicor. quaſi per abſtractionem Mathematicam, quam deſeruire naturali admonebat Alexander in Proemio Priorum Analiticorum, veluti decet eam tractationem, quam ibi habet, conſiderat generationem in ſua formalitate, ſolùm ratione terminorum inter quos exiſtit, atque ideò ibi ponit illam inter contradictoria, cum in 1. Phyſicor. quia eam conſiderabat ex ratione intrinſeca principiorum, qua ratione requirit materiam; & quia non ens in materia, ex qua debeat fieri aliquid, dicit priuationem, eam dixiſſet fieri inter formam, & priuationem; quemadmodum poſtea in libris de Generatione, quãdo illam conſiderat, vt de facto contingit, dicit eam eſſe inter contraria. Quando igitur conſideramus generationem formaliter, dicimus illam eſſe inter ens, & nõ ens, & verè dicimus, ſicuti verè etiam dicit Philoſophus, quod non habet inter, nec medium. Id autem verificatur,

Eleměta in 2. de Generatione conſiderantur ab Ariſto. in ſua formalitate, non veluti in rem ſuam.

Ioan. Gram.

Quomodo generatio fit inter contradictoria; priuationem, & formam, eſſe inter contraria.

Quomodo generatio nõ habet inter, nec mediũ, & fiat in inſtanti.

quamuis

quamuis totus ille transitus fiat in tempore; quia quod fit, dum fit, non est. Vnde semper, dum fit non est; in instanti au tē acquirit esse, post non esse, & verè sic dicitur, quòd esse for mę subito fit. Dicet aliquis, hoc est etiã in accidentibus; etenim etiã ibi quod fit, non est. Aduertendũ est, ꝙ hoc in accidentibus nõ est verũ, nã formę accidentales quantùm fiunt, tantùm sunt; quia (vt dictum fuit) possunt consistere in quolibet gradu. Nec aliquis oscitanter legat in lib. Periherm. id, quod dicitur: *Si fit pulcher non est*, & ideò velit vt verificetur etiam in accidentibus, quod fit, non est. Aduertendum enim est pulchritudinem, non esse de accidẽtibus, in quibus fit alteratio, de quibus nunc loquimur. Mutatio enim ad pulchritudinem similis est mutationi substantiali: prætérquam quòd est terminus consequens alterationem, vt habetur 7. Physicor. Hac igitur ratione illa omnia enũtiantur de generatione substantiali ad differentiã accidentalis, & generatio substantialis, quantùm ad hoc, hac sola ratione dicitur non esse motus; quia in sua formalitate includit talem conditionem, vt sit de non subiecto in subiectum. Sed & præterea etiam alia ratione non est motus; quia scilicet non est circa subiectum idẽ manens sub vtroque termino. mutat enim subiectum, cum sit ens pontentia, in transmutatione existentiæ, vt habetur 1. Physicor. tex. 82. Vnde obiter notandum propono, quòd Aristoteles cum negauit in substantia esse motum; quia in ea non sit contrarietas, per hanc contrarietatem significauit etiam naturam huius subiecti, quæ est & ipsa requisita ad hoc, vt fit motus. Contrariorum enim est versari indifferenter circa subiectum idem manens, atque sic ingeniosè ponens defectum contrarietatis, posuit defectum vtriusque. Et hic etiam dicunt rectè Greci, quòd formę elementorum non sunt contrariæ hac ratione; quia non versantur circa idem manens, sed aduenientes, & recedentes illius mutant existentiam. Ad rationes modò deueniens dico ad primam, quòd supponit falsum; generationem scilicet non esse successiuam, sed tamen hoc pacto distinguatur.

Discrimẽ inter generationem substantialem, & accidentalem.

Pulchritudo non est de accidentibus, in quos fit alteratio, est quid simile mutationi substantiali.

Responsio ad primam rationem cõtra successionem generationis.

Esse

Esse successiuum contingit dupliciter, vel vt succedens in quouis gradu successionis possit existere: & sic nõ habet successionem forma substantialis, sed talis successio est in solis accidentibus, in quibus est motus, vel vt succedens in fieri, non tamen vt possit quomodocũque existere, sed habeat talem terminum existendi: & sic succedit etiam forma substantialis, & generatio est successiuâ. Adeò vt ex hoc principio compertissimo omnia optimè dilucidentur. Quando enim dicunt, erit medium inter ens, & nõn ens, aut inter affirmationem, aut negationem, similiter respondetur, quòd est medium, non permanentiæ, sed solius actionis, & hoc nihil inconuenit. Propter hoc enim non est medium inter esse, & non esse; quia (vt iam diximus) quod sic fit, non est. Ad secundum dicitur, quòd illę priuationes graduum non sunt variationes in esse, sed solùm in fieri, ideò nihil possunt specifice diuersitatis. Quantum verò ad argumentum, quo ostenditur non esse medium inter substantiam, & accidens; quamuis de dicto Auerrois nihil sollicitemur, tamen est aliquid dicendum de re ipsa. Dicent quidem etiam Gręci, has formas esse medias inter substantiam, & accidens, illorum verò dictum sic intelligitur; quod scilicet sunt medię; quia sunt talis naturę, vt possint accidentaliter, & substantialiter inesse, ad differentiam illarum, quæ non possunt inesse, nisi accidentaliter, & illarum, quæ non possunt inesse, nisi substantialiter, vt supra dictũ est. Nec ad hoc dictum sequitur id, quod putat D. Thomas: Si quidem accipit ipse substantiam prout subsistit, & nos versamur in substantiali, quod inhęret, & accipit ipse accidens, nos sumus in accidentali. Dicimus itaq; has formas esse medias inter naturas, quæ substantialiter insint, & illas quæ accidentaliter; quia vtroque modo possunt inesse, quo sanè pacto nihil medium resultat inter contradictoria. nam contingit id, quod inest, inesse vel substantialiter solùm, vel accidentaliter solum, vel vtroque modo. Quędam inherentia, substantialiter tantum insunt, vt anima; quędam accidentaliter solùm, vt viriditas; quædam vtroq; modo,

Ad secundam rationem D. Thomæ.

Ad primã impugnationem contra Auerroistas.

Quomodo formæ elementares, sint medię inter substantiam, & accidens.

do, vt hę qualitates, quæ ideò dicuntur mediæ inter substan tiam, & accidens. Ex quo iam potest videri solutio ad aliud argumentum. Diuiditur enim ens inhærens tãquam vnum genus, in ens inhęrens substantialiter, & inhærens accidenta liter, aut inhęrens vtroque modo, quare hoc medium in eodẽm genere entis inhęrentis, prout inhęret cum suis extremis, collocatur. Auerroistæ ipsi, vt tueantur Auerroem de hac propositione, varia dicunt inuenientes, ex medij distinctione, in medium secundum participationem, & medium secundum comparationem; medium tale quod obiectionibus D. Thomę non offendatur. Sed hæc apud illos videri possunt. Quod alij dicunt habet de se solutionem euidentem. Ens enim illud, quod isti vnum ponunt & dicunt futurum, vt sit duo contraria, indè arguentes contra positionem quòd formæ suscipiant magis, & minus, potest variè considerari. Vel quatenus ponitur vnum, intelligitur esse constitutum ex illis duobus elementis, tanquam iuxta positis, & cohęrentibus. Et si ita intelligitur, nullum est inconueniens ex duobus iuxta positis, & aliquo pacto alteratis fieri vnũ, vt lignorum aceruus, siuè melius, vt Medicorum pharmaca; quemadmodum etiam nullum est inconueniens illud idem esse duo propter partium difformitatem. Vel intelligitur, illud esse vnum ob mistionem illorum duorum: & hoc, vel in fieri, vel in facto esse, & vtroque non nihil dicitur, quod sit repręhendendum. In fieri quidem nihil inconuenit esse vnum ratione formæ, ad quam tendit, & duo ratione duorum, quæ miscentur, in facto esse, similiter nihil inconuenit, vt scilicet sint duo mista, vnum ob formã vnam in quam conuenerint.

Ad secũdam.

Ad tertiam.

CAP. OCTAVVM.

In Substantia non est motus; quia in Substantia non est contrarium.

AVERROES quinto Physicor. com. 10. pugnat alio nomine contra hanc sententiam, quòd formæ elementorum sint contrariæ. ait enim futurum, vt in substantia sit motus, si in substantia reperiatur hęc contrarietas secundum formam. Id quod aduersatur dictis Philosophi scribentis eo loco, in substantia non est motus; quia in substantia non est contrarium. Quod & D. Thomas in Opusculo de Mistione, & alij passim semper inculcant. Nos quidem supra diximus cica hanc Philosophi rationem, quid senserint grauiores Expositores. Nunc vlterius videre oportet, quid dicendũ sit de argumento istorũ inde deducto. Ait igitur Philosophus, in substantia nõ est motus; quia substantiæ nihil est contrariũ. Aio ego, vbi non est contrarium, ibi non est motus: In quantitate non est contrariũ, ergo in quantitate non est motus; tamen Philosophus in quantitate motum ponit, qui est auctio, & diminutio. Considero igitur pro resolutione, in quantitate esse motum; quia in quantitate est contrarietas, non ratione suę essentię, sed ea ratione, qua quantitas dicit terminum, & mensuram corporis naturalis, quod est hoc pacto intelligendum. Quantitas quando consideratur, vt adiuncta formę naturali, nanciscitur oppositionem terminorum; quia est vna quantitas, quę dicit perfectam magnitudinem, quatenus forma, quæ cum ipsa existit, perfectè se habet ad proprias operationes obeũdas; alia est quãtitas, quæ dicit imperfectam magnitudinẽ, quatenus forma, quæ cum illa existit, imperfectè se habet ad operandum. Vnde duos terminos sortitur quantitas, secundum perfectam, & imperfectam magnitudinem, & ratione horum est in ea motus. Doctrinam hanc innuit Philosophus 8. Physic. tex. 62.

Quomodo habeat quantitas contarium.

3. Phisic.

3. Physicor. tex. 5. Considero deinde, formas substantiales non esse terminum mutationis, per quam ipsę transeunt de non esse ad esse, aut de esse ad non esse; quia quod fit, & corrumpitur, non est forma, sed compositum 7. & 8. Metaphysices, & primo de Generatione, & Corruptione, vbi dicitur, quòd generatio est mutatio totius in totum; licet enim non mutetur materia quantum ad essentiam, mutatur tamen vt est subiectum, & quantum ad existentiam. Ita scribitur primo Physicor. tex. 82. quòd materia, quatenus est id in quo, eatenus fit, & corrumpitur, & dicitur tex. 22. primi de Generatione, quòd materia ignis est, vt sit eadem cum materia aquæ, & est, vt non, quarè cum ignis mutatur in aquam, mutatur etiam materia igni subiecta; mutatur autem quatenus non potest esse eadē materia vtriusque, hoc verò est, vt Scholę dicunt, secūdum existentiam. Cùm igitur non sit tota substantia toti substantiæ contraria; materia enim nulli est contraria, ideo licèt sit contrarietas in essentia formarum substantialium, tamen quia non est contrarietas in substantia, prout debet terminare mutationem, quod requirit contrarietatem secundum totum; ideò benè cōcluditur, quòd cum tota substantia toti substantiæ non sit contraria, ideò in substantia non est motus. Dicet autem aliquis, illa existentia moritur in materia subiecta formę ignis, quando ex aqua fit ignis, cur non est contraria existentię alteri, quæ fit dum ex igne aqua generatur. Ratio dubitationis est; quia si à forma dependet existentia illa, & formæ sunt contrariæ, videtur, quòd etiam illę existentiæ debeant esse contrariæ, atque ita tota substantia toti substantiæ erit cōtraria; tota scilicet substantia, prout terminat mutationem. Responsio debet esse, quòd compositum terminat generationem; non solum prout dicit existentiam, sed etiam complectendo essentiam materiæ. Quæ quidem essentia fit, & corrumpitur, non quidem simpliciter, prout talis essentia, sed prout mutat propriam existentiam. non enim terminatur generatio ad illam existentiam, prout est existentia seorsum accepta ab existente,

ſed prout eſt exiſtentia materiæ, & in materia eſſe habens; quare illa exiſtentia eſt immunis à contrarietate. Nec valet, quod dicitur, eſt à forma contraria; nam exiſtentia ſequitur naturam exiſtentis, nõ eius à quo eſt, vnde licet ſit à forma, non tamẽ eſt contraria; quia eſt ſubiectiuè in materia, eſtq́; modus materiæ, quæ materia eſt immunis à contrarietate, quare, & modus eſſendi illius à contrarietate eſt immunis. Dicet àliquis vlterius, eadem ratio eſt de formis accidentalibus, nam in 8. Metaphyſic. ſimiliter dicitur quòd non fit albedo, ſed corpus album. Cur igitur in illis dicimus eſſe motum, non autem in iſtis? Reſponſio eſt, quòd alteratio primò, & propriè terminatur ad qualitatem, & in ſubiecto qualitatis, vt ſubiectum eſt, nulla fit mutatio, àut eſſentiæ, aut exiſtentiæ; quia exiſtentia ſubiecti accidentiũ non dependet ab ipſo accidente; quin potius contra, ſubiectũ dat exiſtentiam illis. Dicitur autem in accidentibus, fieri cõpoſitum; quia accidentis eſſe eſt ineſſe, & mutatio qualitatis includit inhęrentiam, quæ eſt à ſubiecto. Non ſic autẽ in ſubſtantia, nam generatio per ſe propriè eſt mutatio totius in totum; cũ enim mutatur forma, ſimul neceſſariò mutatur ſubiectum quantum ad exiſtentiam, quam habet à forma. Reſolutio itaque ſic eſt habenda. In ſubſtantia non eſt motus; quia in ſubſtantia, prout eſt terminus tranſmutationis, non eſt contrarietas: eſt autem terminus tranſmutationis, quatenus eſt compoſitum ex materia, & forma, vt habetur in Metaphyſ. & vt ſic, non habet contrarium, vt habetur 1. Phyſicor. text. ſupra adducto 67. Videre autem ſemper proderit, quæ dicuntur ab Auer. com. illo 10. contra Alexandrum, & ſemper illud eſt obſeruandum, quòd dicunt Gręci formas elementorum non eſſe contrarias, vt ſupra ſtatutum fuit. Obſeruandum inſuper eſt (quòd ſupra adnotabamus, & Iandunus etiam defendens Auerroem à contradictione proponebat) contraria propriè eſſe, quæ circa idem ſubiectum actu idem manens viciſſim permutantur; quare proponens Philoſophus cõtrarietatem non eſſe in ſubſtantia, propriè intelligit

contra-

contrarietatem,& propriè accepta contrarietas nō eſt etiam in formis ſubſtantialibus ; quia non ſunt circa ſubiectum idem manens quantum ad exiſtentiam inuicem tranſmutabiles, quod requirit ea contrarietas, cum qua ponitur motus. Et ſic Philoſophus ingenioſè mentionem facit de contrarietate, notans ſimul neceſſitatem ſubiecti actu in motu requiſiti.

CAP. NONVM.

Motus igitur ſecundum qualitatem alteratio ſit, dico autem qualitatem, non eam quæ in ſubſtantia. 5. Phyſic. tex. 18.

EX hoc textu deducitur, has qualitates non eſſe ſubſtantiales, hoc pacto. In iſtis qualitatibus eſt alteratio. primo de Generatione, & Corruptione tex. 23. & 7. Phyſicor. tex. 10. ergo iſtę qualitates non ſunt ſubſtantiæ. Adiungatur alterationis definitio, quæ eſt, quod alteratio eſt mutatio in paſſionibus manente ſubſtātia, & habebitur idē, quòd ſcilicet oportet, has qualitates non eſſe ſubſtantias poſtquam in illis eſt alteratio. Inſuper dicatur, alterationis proprium eſt facere alterum, ſi iſtę qualitates ſint ſubſtantiæ, facient aliud, quarè ſi ſunt illę, ſecundum quas eſt alteratio, non videntur poſſe poni ſubſtantiales. Vlterius aliter etiam argui poteſt ex eodem textu. Cùm enim dixiſſet Philoſophus alterationem non eſſe ſecundum qualitatem, quæ eſt ſubſtantia, ſubdit quę ſit iſta qualitas, quæ eſt ſubſtantia: *Etenim differentia qualitas eſt.* Deinde ſubiungit, in qua qualitate ſit alteratio: *Sed eam quæ paſsiua eſt, ſecundum quam dicitur pati, aut impaſsibile eſſe.* Ex hoc loco ſic poteſt ratio deduci. Caliditas ignis certè eſt paſſiua qualitas, has paſſiuas qualitates ſeparat Philoſophus à qualitatibus, quę ſunt differentię ſubſtantiales, quoniam in his dicit eſſe alteratio-

nem, in illis non esse, ergo caliditas ignis non est differentia substantialis. Pro his resoluendis operæprecium est primò rem ipsam dilucidare, deinde obiectis facilè respondebitur. Sit verò initium ab Alexandro, primo Quæst. Naturalium, vbi quærit: Cur aqua, si est primò frigida, magis desinat esse aqua per amissionem humidi, quàm per amissionem frigidi. In resolutione quæsiti ita scribit de aqua: *Ob hoc quousq; caliditas genita in aqua humiditatem ad tantùm mutauerit, ut forma aeris fiat, manet adhuc aqua*. Ita de aere: *Ob hoc nec aer frigefactus fit statim aqua, sed manet aer, quousq; humidum adhuc tenue fuerit*. Ita de igne: *Neque enim est terra statim ignis, si frigefactus fuerit; oportet enim fieri siccitatem quandam*. Resumentes nunc sub his Alexandri dictis ea, quæ prius sunt constituta, facile rem totam, quæ nunc quæritur, explicare poterimus. Elementorum formatio consistit in propria qualitate; nō simpliciter, sed quatenus est talis qualitas, quæ sibi alias, & sub tali conditione, & ratione coniungit. Cum igitur se ita res habeat, non est substantialis mutatio elementi, donec sub certa illa constitutione formatiua qualitas transmutetur, atque ideò quodcunque, citra talem constitutionem, cadit mutationis, id omne est alteratio. Sic in mistione; quia vnumquodque elementorum hanc qualitatum coniunctionem conseruat; licet non in esse puro, sed refracto & corrumpit solùm exuperantias, ideò elementa dicuntur alterata in misto, & mistio definitur miscibilium alteratorum vnio: Exempli gratia in igne puro est omnis excellens conditio caliditatis: Dempta illa excellentiâ adhuc erit ignis, sed non purus; quia habebit cōtrarium admistum, ratione cuius erit minus ignis; quia per contrarium alteratur. Mutatio igitur, quæ fit in illa excellentia, in qua qualitas non amittit coniunctionem, est alteratio. In ipso autem misto apertè videmus omnes conditiones elementi prædominantis, vt in misto terreo, frigidum, siccum, densum, graue. Quocirca ibi est terræ siccitas in sua coniunctione; quamuis non pura ob aliorum commistionem. Hoc verò similiter

Alex. 1. Nat. Quæst. cap. 6.

Qualitates nō sūt formæ elementorum nisi in quodam certo ac prędefinito gradu.

est

est de alijs elementis, licet minus clarè, secundum sensum; ratione tamen satis aperta. Habeatur huius rei exemplum in rationalitate. Hæc est æqualiter in omnibus hominibus, prout est substantialis differentia speciei cõstitutiua, in alijs tamẽ est magis viuida, qui magis ingenio pollent; in alijs minus, qui minus: Abiectio, & additio huius vigoris est alteratio. Sic dicebat Simplicius, rationale est differentia substantialis, quod autẽ superuenit rationali per accumen, & solertiã qualitas est. Ita, & ignis caliditas habet latitudinẽ in illa coniunctione, & quod superuenit, qualitas est, & cum in eo fit mutatio, est alteratio. Ignis enim exempli gratia natus est esse purus, & mistus: purus requirit illud viuidum, & excellens, si id amiserit, erit adhuc ignis, sed alteratus, aut mistus, vt homo sine acumine est homo, sed deficiens ab excellentia hominis. Dicamus igitur, quòd variata participatione, variatur esse qualitatis. Hęc in elementis habet latitudinem, quare potest ita variari, nè tamen prorsus desinat esse substantialis, vt optimè docet Alexander, & tunc est alteratio. Ad oppositiones modo ex Arist. deductas sic respondetur. Motus secundum qualitatem, quæ non est substantia, alteratio est, verissimè dicitur; quia etiam motus factus secundum caliditatem, qui non attingit illius esse, prout est ignis substantia, est motus in qualitate, quæ non est substantia. etenim non adhuc attingit illam, prout igni est substantialis, vnde prout alteratio est in caliditate, caliditas non est substantia, & secundum hoc rectè semper loquuntur Græci. nam caliditatem per se acceptam dicunt qualitatem, non formam; solùm dicunt formam qualitatem in coniunctione. Sic in primo de Ortu, & Interitu dicitur, quòd alteratio est in his qualitatibus, quando scilicet per se considerantur, & accipiuntur in eo esse, in quo remanent qualitates, & dicitur rectè, manente coniunctione manet essentia ignis; quamuis mutentur caliditas, & siccitas aliquo pacto; ita manet aquę essentia in aqua calefacta. Similiter etiam conseruatur integrum id, quod dicitur, quòd alteratio non facit aliud, sed alterum;

Simplicius.

Explicatur tex. 18. quinti Physicor.

alterum;quandocūque enim mutantur folùm hę qualitates, vt qualitates,non tamen penitus fecundum nexum,& participationem fubftantialem,eft alteratio,& fit alterum folùm. Poftquam autē fumus in hoc fermone de alteratione fecundum iftas qualitates,libet adducere tex. 24. 2.de Generatione,vbi habetur: *Si elementa inuicem nō mutentur,non erit alteratio.* Ex quo quidem tex. dupliciter videtur poffe dubitari. Primò, nonne funt & aliæ qualitates, vt colores, in quibus erit alteratio? Secundò, fi his demptis tollitur alteratio, & alteratio eft in accidentibus, ergo hę inter accidentia collocantur. Dicebat ibi Ioannes Grammaticus, Alexandrum nomine alterationis intelligere generationē fubftantialē. quod poteft dicere Alexander; quia in eo opere difputatum eft, vtrum generatio, & alteratio diftinguātur: Veteres aiebant: Negauit Philofophus. Potuit autem in eo propofito vti vocabulo alterationis, prout illo Veteres vtebantur, & non eft timendum, ne fit petitio principij, vt putat Ioannes; quia ab eo,quod eft notum,res fcilicet generari, & corrumpi, arguet Philofophus ad id, quod eft ignotum, de caufa fcilicet generationis, & corruptionis earum, quæ eft in iftis qualitatibus, vt eft dictum tex. 1.generatio enim, & corruptio omnibus natura conftantibus non fine fenfibilibus corporibus. Verumtamen, quicquid dixerit Alexander, accipiendum eft vocabulum propriè. Et pro rei explicatione, intelligendum eft, nihil poffe alterari, nifi harū qualitatum mutatione. naturaliter enim quicquid alteratur per aliquam mutationem in his qualitatibus alteratur. Vnde harum mutatio eft caufa alterationis aliorum, vt fit dum homo canefcit; mutata enim vna, vel altera qualitate in temperamento, fit primò alteratio fecundum eam qualitatem: deinde cōfequitur eam alteratio in colore pilorum. Ratio igitur Philofophi eft, nifi hę qualitates mutentur, non erit alteratio; quia omnis alterationis naturalis hæ funt caufę.

Examinatur tex. 24. lib. 2. de Generatione.

CAP.

CAP. DECIMVM.

Ignis agit non quà ignis, ſed quà calidus. lib. de Senſu, & Senſibili. cap. de Odore, & Sapore.

HANC propoſitionem accipiunt ex Lib. de Senſu, & Senſibili capit. de Odore, & Sapore. Aiunt autem ſic eſſe intelligẽdam. Ignis agit non per ſuam formam, ſed per qualitatem adiunctam. Ratio cur ſic intelligendam ducant, multiplex excogitatur. Primò dicunt, quòd ſubſtantia materialis non agit immediatè, quare cum forma ſit ſubſtantia materialis, non poteſt agere immediatè, ſed debet agere mediante qualitate, vnde rectè dicitur, quòd ignis nõ agit, quà ignis, ſed quà calidus. Secundò dicunt: Nomen rei naturalis ſignificat rei formam, iuxta dictum Ariſtotelis primò de Cœlo text. 92: *Qui dicit cœlum dicit formam*. Et Auerroes ſecundo de Anima com. 8. vbi habet: *Et hoc fuit, quia nomen in rebus naturalibus dicitur primò de forma, & ſecundò de congregato.* Ergo, aiunt, cùm dicitur, quà ignis, eſt, ac ſi dicat ſecundum formam. Addunt tertiò duplicatiuam quatenus, denotare formam ex 5. Metaphyſicor. text. 23. Quocirca idem erit dictu ignis, non quà ignis, ſed quà calidus, ac ſi dicatur ignis non agit ſecundum formam. Quòd ſi intellectus propoſitionis eſt iſte, iam ſatis patet, quòd Ariſtot. ante caliditatem ponit in igne aliam formam; etenim ſi caliditas eſt forma, poſtquam ignis agit per caliditatẽ, aget quà ignis. Ignis enim eſt ignis per formam. Reſolutio huius difficultatis ſtatim haberi poteſt, ſi ſententia Ariſt. eo loco integrè repetatur. Agit igitur Philoſophus de generatione ſaporis: Remouet autem primò aliorum opiniones: Deinde proponit, quòd ſapor non eſt ſolius aquæ, vt Veteres proponebant, ſed eſt etiam terræ, quod vel ex ipſis Veteribus oſtendit. Dicunt ipſi, talem eſſe ſaporem aquæ qualis

Explicatio ꝑpoſitionis propoſitæ. Ignis agit &c.

Declaratio loci Ariſt. lib. de Sẽſu, & Senſili, vbi tractat de generatione ſaporum.

est terra, per quam transit, quod profectò significat terram aliquid habere in generatione saporum. Non contentusque Philosophus eorum auctoritate, ex re ipsa idem confirmat, quoniam sal, qui sapidus est, terræ est species: Et quoniam per qualem bituminis mineram transeat aqua, talem eam videmus concipere saporem. Quoniam etiam experiamur aquam, quæ per cineres transiuerit, factam esse amaram. Quoniam insuper in fontibus varietatem saporum aduertimus ob terram, in quà sunt. Quoniam tandem quæ è terra proximè nascuntur, vt Plantę, in saporibus excellunt. Colligit itaque non solùm non esse ex aqua saporem, sed primas terram ad eum producendum partes habere. Eò itaque res est deducta, vt ex aqua, & terra sit sapor, commisto simul humido, & sicco, quod fit per actionem calidi. Hæc autem faciunt dubium tale. Ita ne debent misceri siccum, & humidum in faciendo sapore, vt misceantur ipsa elementa nihil minus, quàm misceantur, quando mistum generatur? Hoc quidem videtur contra sensum. nam sine misti generatione, aut in aliud transmutatione & fiunt, & variantur sapores. Et subdit Philosophus, qui lauant sapida in aqua faciunt aquam habere talem saporem; quod etiam conspicitur in aqua per mineram transeunte. Arist. igitur hanc dubitationem debet remouere, alioquin non erit satis exposita saporum generatio, quocirca ad eam remouendam progreditur. Quoniam autem ex humidi, & sicci coniunctione sapor fit, excludit siccum igneum, quòd ignis concurrat potius suo calore, quàm siccitate, sicuti ipse est propriè calidus, vt terra est propriè sicca. Deinde ad saporem generandum, ait, sufficere actionem, & passionem inter humidum, & siccum; quãuis non desinat in misti generationem. Quòd autem possit horum duorum fieri actio, & passio, quæ non desinat in mistionem, ita ostendit. Non generatur mistum, nisi materia elementis seorsum subiecta vniatur sub vna forma substantiali, hoc autem non semper cum agunt, & patiuntur elementa necessariò fit, sed tunc solùm, cum eatenus

progre-

progreditur actio vt id possit. Non semper autem hoc necessariò fit; actio enim & passio non inest elementis, quatenus sunt talia corpora ex materia etiam constituta, sed ratione contrarietatum in ipsis inuentarum, quare cum possit cadere actio & passio inter ipsa, citrà mistionem, & vnionem materię sub vna forma, possunt sine eadem mistione alicubi nasci, & mutari sapores. Et hoc est, quod dicit Philosophus: *Quà igitur ignis, & quà terra nihil natum est agere, vel pati, nec aliud quicquam; quà autem inest contrarietas, omnia agunt, & patiuntur*. Et est ac si dicat: Actio, & passio elementorum non statim inducit generationē mihi; quia non agunt elementa ratione sui totius, sed agunt quatenus contrarietatibus prædita sunt. Vnde potest sequi ad illorum actionem, & passionem mutatio in aliquibus affectionibus, qua tamen mutatione nihil de misti generatione, aut substantiali mutatione. Hic est certus sensus eius loci, quem ponit Alexander: Et Iandunus dicit, quòd multum subtiliter, melius dixisset multum verè. D. etiam Thomas proposita Alexandri explicatione eam non reprobat; quia non videt, quomodo id possit facere, se conuertit solùm ad inconuenientia, quæ ipse putat sequi, si qualitates elementorum dicantur illis substantiales. Quòd verò dicitur, actionem, & passionem esse ratione contrarietatis in corporibus repertę, non placuit Stoicis, qui voluerunt corpora, vt corpora agere & pati. Contra quos est Alexander 1. de Anima cap. 3: *Omnia enim* (inquit) *quæ agunt & patiuntur, vt hoc aut illud agant, à specie possident. Quòd enim agens agit, aut patiens patitur indetermatè? Quod potest determinare actionem, aut passionem, nisi forma?* Hæc igitur est germana interpretatio illius partis, in qua non scribitur certè propositio, vt isti eam ponunt, licet in hoc non sit momentum. Sat enim est, si elici posset. Verumtamen ibidem magis elicitur, quòd caliditas est forma. Cum dico formam, est ac si dicam formalem differentiam; quia caliditas, vt caliditas non est forma. Hanc tamen expositionē, quam dicunt glosam Alexan-

Alexander.
Iandunus.
D. Thomas.

Alexan. 1. de Anima cap. 3.

Obiectiones contra expositionem allatã.

dri, isti sic reprobant. Non videtur vera glosa, quòd non agit, vt corpus; quia materia nihil ad agendum. etenim materiam ad agendum concurrere accipi potest; quandoquidem, & verè dicitur, & experimur, quòd actio sequitur multitudinem formę in materia: Calor idem in ferro vrit magis, quàm in stupa: Et tritum est illud, actiones sunt suppositorum, vnde habemus in primo de Anima text. 64. quòd non cogitat anima, sed homo per animam. Quę omnia non dici ad rem, clarum est, animaduersa Philosophi disputatione, quæ nihil aliud patitur dici, quàm id quod Alexander dixit. Et quod primò dicitur, apud intelligentem nihil est; quandoquidem, aliud est esse causam actionis, aliud facere ad vehementiam actionis. Materia vt sic, per accidens, compressa, & condensata sub forma est aliquid ad actionem; id autem nihil ad rem, quæ nunc agitur. Similiter quod dicitur; actiones sunt suppositorum, habet claram respõsionem. Sunt suppositorum, non tamẽ quatenus supposita sunt, sed quatenus contrarietatibus implicantur; loquendo de actione, circa quam nunc versamur. Sic dicebat Philosophus, homo est, qui cogitat, sed cogitat per animam. Quòd verò inde magis accipiatur caliditatem esse differentiam formalem ignis, quàm oppositum, quod isti putant, non multo negocio confirmari potest. Agit, quod agit, ratione contrarietatis, quę dicta est in primo de Generatione & Corruptione. Hæc est illa, quæ dicta in libris Physicor. & super qua in tex. 15. secundi libri relinquebatur discutiendũ, in ijsdem libris: *Si autem est priuatio, & contrarium aliquod circa simplicem generationem, aut non est, posterius considerandum*. Ista est contrarietas, quæ est principium, quæ est cõtrarietas formalis, & substantialis, ergo hic est sermo de contrarietate formali, & substantiali, ergo caliditas, humiditas, siccitas, quæ hic pro istis contrarietatibus numerantur est substantialis, & constitutiua qualitas. Non est autem difficile respondere istorum dictis. Et primò quando dicitur; substantia materialis non agit immediatè, de hoc erit caput particulare.

Solutiones.

Quomodo materia faciat ad actionem.

Actiones sunt suppositorũ, quomodo intelligendum.

Explicatur locus in tex. 15. lib. 2. Physic.

lare. Cum dicunt; nomen rei naturalis ſignificat formam, adeant Philoſophum 2.Phyſicor.tex. 11. Caro non eſt caro, donec ſubeat formam carnis: *Ars artificiale non dicitur, donec habeat formam.* Ibi eſt pro illis fundamentum, ibi ſolutio; nam nomen eſt compoſiti, prout habet formam. Sic in tex. 2. eiuſdem: *Quatenus autem ſortitum eſt prædicationem.* Nomen igitur compoſitum ſignificat, non formam. Et dictum Ariſt. primo de Cœlo, non eſt de nomine quantum ad formam, aut ad compoſitum, ſed quantum ad nomen vniuerſale, & nomen indiuiduale. Vniuerſale dicit formam, indiuiduale materiã; quia materia vt formatur, ſiuè forma, vt cum materia componitur, eſt principium indiuiduationis. Sic etiam ad Auerrois dictum reſpondetur. verè enim id ab eo dicitur, & eſt ferè id, quod habetur ex Philoſopho. 2.Phyſicor.licet poſtea in illius dicto ſint alia conſideranda, quæ non attinent ad hunc locum. Quod dicunt; reduplicatiuam reduplicare formã, eſtò verum, ergo cum dicitur, ſed quatenus calidus, habebitur, quòd caliditas eſt forma. Cenſendũ eſt, quòd vocabulũ quatenus reduplicat omnem cauſam, & omne principium agendi, ſi ſumus in actione; hoc verò loco; primò negatiuè, reduplicat de compoſito; quod licet ſit id, quod agit, non tamen eſt id, penes quod primò eſt ratio agendi, ſecundò affirmatiuè reduplicat de caliditate, tanquam de illo, quod ſit verum, & primum principium agendi. Quòd ſi tale eſt id, quod eſt ſubſtantialiter formale, oportet caliditatem eſſe ſubſtantialiter formalem. Sic dicitur, quòd anima non cogitat, ſed homo per animam; quia compoſita ſunt principia, quibus competunt actiones, & paſſiones, ſed competunt poſtea illis ratione principij formalis, vt in illo cap. 3. primi de Anima adnotabat Alexander. Quod tandem dicunt; ſi caliditas eſt forma, & agit per caliditatem, ergo aget quatenus ignis; quia ignis eſt ignis per formam, ſoluent falcilè ipſimet, ſi aduertent, quòd forma ignis eſt vt ſimum, quòd dicit hoc in hoc. Quare ignis eſt ignis per formam, non tamen ſine materia.

Explicatur locus in tex.92. lib.1. de Cœlo.

CAP. VNDECIMVM.

Substantia materialis non agit immediatè. Aut forma materialis substantialis non agit immediate.

ADEO hanc propositionem, quouis horum duorum modorum acceptam, certam esse existimant, vt ea, pro axiomate vtantur; vti dictum fuit in superiori argumentatione. Vnde verò ea sit accepta, aut vbi scripta à Philosopho, nihil dicunt. Aliquid autem refert, qualiter propositio accipiatur. Si enim accipimus, quòd substantia materialis non agit immediatè, in vno sensu erit vera propositio; si intelligatur scilicet, quòd substantia materialis non agit, quatenus talis substantia. Substantia enim materialis est corpus compositum ex materia, & forma: corpus autem non agit vt corpus, sicuti fuit opinio Stoicorum, sed agit ratione formę, vnde ratio agendi est à forma. Immò Alexander primo de Anima cap. 3. dicebat, non minus agere, & pati inesse corporibus propter formam, quam ijsdem propter formam insit essentia, quare propositio de substantia pronunciata habebit hunc bonum sensum. De forma autem pronunciata videndum est, an vllo pacto possit verificari; quòd scilicet forma materialis non agit immediatè. Potest autem propositio sic pronunciata habere hos sensus. Primus, vt dicatur, quòd forma materialis non agit immediatè, idest non agit per essentiam, vt abstracta agunt: & hic modus est verus in eo sensu, qui declarabitur. Secundus sensus est, vt dicatur forma materialis non agere immediatè; quia penes ipsam, quatenus est forma materialis, non sit ratio agendi, veluti dicebamus de corpore: qui sensus erit considerandus. Tertius sensus, vt dicatur forma materialis nō agere immediatè; quia requirat aliquid, per quod agat: quod potest esse

Quis possit esse verus sensus propositionis assumptę: substantia materialis &c.

Stoici.

Corpus non agit vt corp⁹, sed ratione formæ.

Alex. 1. de Anima. cap. 3.

Enumerantur sensus, quos potest habere propositio assumpta: forma materialis, &c.

Primus sensus.

Secundus sensus.

Tertius sensus bipartitus.

duobus

duobus modis. Primo modo, vt istud sit instrumentũ substãtię ad agendum. Secundo modo, vt non sit instrumentũ, sed aliquid alia ratione subordinatum: & hoc potest esse tribus modis. Primo modo, vt habeat essentialem subordinationem, veluti homo est subordinatus Soli ad generandum hominem. Secundo modo, vt habeat accidentalem subordinationem, veluti in indiuiduis Pater est subordinatus Auo ad generandum Nepotem. Tertio modo, vt se habeat ad substantiam veluti lux ad Solem, per quam Sol agit. Alius tandem modus erit, vt forma materialis dicatur non agere immediatè; quia requirat accidens, per quod agat, in quo accidente consistat ratio agendi. His benè disputatis, ni fallor, veritas propositionis apparebit. Dicemus autem ordine prępostero, quare primò quantum ad postremum, de quo sic dicimus. Si nihil agit vltra proprium gradum, accidẽs non potest esse ratio agendi, nisi accidentaliter; nullo autem modo substantialiter, nisi velimus accidens esse per se propriè causam substantiæ, quod nullus dicet. Potest quidem agens debile magis agere agente forti propter dispositionem patientis, vt notauit Auer. 2. Meteorór. capit. 2. sed quòd aliquod agat vltra gradum suæ entitatis, est impossibile. Cum itaque nos quæramus in nostro proposito principium agendi substantialiter, non potest profectò hoc tribui accidenti. Id, quod dicunt; requiri accidens, per quod agat forma eo modo, quo Sol agit per lucem, sic est considerandum. Possent hi fortassis rem ita meditari. Sol luce aerem calefacit: Calefactio aeris generat spiritum in terra, & aqua: In spiritu est calor: In calore vis animalis, ex qua Ranæ & aliorum talium Animalium generatio, ergo Sol per lucem, quæ est illi accidens facit substantiam animatam. Res hæc benè aduertenda. Primò quidem gratis concedimus lucem esse accidens soli. Græci enim, & rectè dicunt, lucem Soli esse substantialem, vt etiam Niui albedo est substantialis. Deinde ad illorum rationem respondemus, quòd lux non faceret calorem in aere, nisi calor esset aeri substantialis, vnde non generat

Tertij sensus secundũ mẽbrum triparti tum.

Quartus sensus.

Expenditur quartus sensus.

Accidens, nõ potest esse ratio agẽdi substantialiter.

Auerroes.

Expẽditur vltima pars secũdi membri tertij sensus.

Lux soli, & albedo niui est substãtialis secundum Græcos.

Rana quomodo producatũ à calore Cœlesti.

nerat calorem,quo debet Rana fieri, sed illum excitat, & fouet,rationibus alibi dictis in primo & quarto Meteororum. Actio itaque lucis desinit solùm in illuminationẽ: Quia postea illuminatio attinet ad perspicuitatem, cum qua est materię disgregatio, in qua est calor, excitatur quasi inde viuidior factus ipse calor,à quo sic subordinato Cœlesti actioni, cũ sit ipse quid substantiale aeris,prouenit actio, à qua nihil mirũ illa prouenire. Nunc autẽ sumus in alio casu;quia contendũt isti,has qualitates esse accidẽtia, quibus agat forma, ad quorum actionẽ,nullo alio interueniente,substantię producantur. Si volunt ergo isti agere formam ignis per caliditatem, quæ est accidens, nihil aliud debet sequi, quàm calefactio,vt ad actionẽ lucis nihil aliud, quàm illuminatio. Ad hanc ostendant, quomodo sequatur generatio formę substantialis ignis. ibi enim non est aliud agens subordinatum, quod essentialiter se habeat ad operandum, ratione cuius sequatur. Alia duo, quæ posita sunt de subordinatione, non sunt de casu nostro; quia in talibus subordinationibus, requiritur separatio subordinatorum, quam ibi nõ habemus.

Expenduntur 1.& 2.pars 2. membri 3. sẽsus.

Ad tertium: Primò dicitur,si omnis forma naturalis agit per instrumentum, ergo omnis forma materialis est instrumentaria; quia esse instrumentarium operatiuè, nihil aliud est, quàm vti instrumento ad operandum: Sic intellectus dicitur non esse instrumentarius; quia non agit interuentu instrumenti. Deinde instrumentum non mouet nisi motum. Forma igitur ignis agit calefactionem, per caliditatẽ, tanquàm per instrumentum. Iam statutum est, quòd instrumentum non agit, nisi in virtute primi: quæro ergo quę sit actio formæ, qua facit caliditatem calefacere, & mouet eam ad calefaciendum. Si est calefactio, ergo forma calefacit, & calefacit caliditatem. Puto etiam, quòd si vellem percurrere conditiones instrumenti, facilè ostenderẽ, has non competere has qualitatibus in ordine ad formas antecedentes in elementis. Secundum sensum retinẽdum existimo, & id rationibus ostendi potest. Est autem ad hoc Alex. cap. 3. primi

Expenditur secundus sensus.

de

de Anima, vbi habet, non solùm essentias, & differentias rerum prouenire à forma, sed etiam agere, & pati; quandoquidem omnia corpora, quæ agunt & quæ patiuntur, vt hoc, vel illud agant, patianturvè à specie possident. Deinde forma substantialis est natura, & est natura, quæ est principium agendi ad differentiam materię: Natura, quę est principium agendi, est potentia actiua: Potentia actiua definitur esse principium transmutandi aliud, ergo forma materialis est per se, & immediatè actiua. Nisi enim potentia actiua per se, & immediatè agat, quomodo benè definitur, quòd sit tale principium? Et quæro ab Aduersarijs, an potest poni forma materialis, quę non sit principium agendi, si forma eadem est efficiens? Primum tandem hoc pacto declaratur. Fomæ obstractę agunt, quia sunt, & ideo essentia propria est illis ratio agendi, quare etiam semper agunt. Formę materiales agunt, quia possunt, quare non semper agunt, sed possunt agere, & non agere, vnde in illarum essentia intelligitur inclusa potentia agendi tanquam quid ratione distinctũ in illis à ratione essendi. Distinctio verò qualis sit, ita potest intelligi. Vis agendi crescit ad multiplicationem formæ in materia, cum sit ratio essendi; Forma enim quantum ad essentiam eadem est in maiori, & minori mole: Non sic quantum ad potentiam operandi, sed in maiori est maior virtus. Sic etiam multiplicata materia sub forma non intenditur forma essentialiter, sed solum intenditur vis agendi. In materia enim condensata, ignis essentialiter non est magis ignis, sed solũ est magis ignis quantum ad rationem agendi; ita vt hæc vis agendi sequatur formam, prout est in materia. His stantibus si consideremus formas materiales, quatenus agũt per potentiam ad distinctionem formarum, quæ agunt per essentiam, si aliquis velit subtiliter dicere, nihil refert; quin dicat, quòd non agunt immediatè, sed mediante hac potentia, ad illas à formis separatis, distinguendas. Quòd si velit adhuc subtilius dicere, poterit dicere, hanc potẽtiam esse accidens de Prędicamento qualitatis in Secunda specie,

&ita

Alex. 1. de Anima cap. 3.

Expēditur primus sensus. Formę abstractæ agunt; quia sunt: formæ materiales agunt; quia possunt.

& ita poterit verificare, quòd forma materialis agit median te accidente. Poteſt enim dicere, quòd hæc potentia eſt accidens adiunctum eſſentiæ ipſius formæ, ratione coniunctio nis, quam habet materia cum forma. Nullo alio modo, (vt ego opinor) poteſt verificari, formam materialem non agere immediatè.

CAPVT XII.

Subſtantia non eſt per ſe ſenſibilis. 2. de Anima. 63.

ACCIPIVNT hanc propoſitionem ex Ariſt. 2. de Anima tex. 63: *Sed vnuſquiſque iudicat de his, & nō decipitur quòd color ſit, neque quòd ſonus, ſed quid ſit coloratum.* Simplicius ibi: *Decipitur quidem ſenſus, quæ nam colorata ſit ſubſtantia, quoniam ſubſtantiam per accidens ſenſus cognoſcit.* Rurſus Ariſt. tex. 65: *Secundum accidens autem dicitur ſenſibile, vt ſi album ſit Diaris filius.* Diaris filium dicunt notare ſubſtantiam, & inde etiam accipiunt, quòd ſubſtantia eſt per accidens, non per ſe ſenſibilis. Hinc dedu cunt. Subſtantia non eſt per ſe ſenſibilis: Iſtę qualitates ſunt per ſe ſenſibiles, ergo non ſunt ſubſtantiæ. Nihil autem iſti conſiderant, quòd vbiq; Philoſophus dicit ſubſtantias ſenſibiles, ad differentiam ſubſtantiarum intellectualium, & Mathematicarum. Nec conſiderant, quòd corpora naturalia dicat ſenſibilia, & tangibilibus qualitatibus conſtituta in ſecundo de Generatione tex. 7. Et non putant rationabile, quòd debeant per ſe eſſe ſenſibilia ſenſu tactus corpora naturalia, ſi conſtituuntur per qualitates tangibiles. Si enim ſint tangibilia per accidentia adiuncta, non benè dicuntur tangibilia; nihil enim eorum tangit, ſed quid extrinſecum, & ſeparabile in illis eſt, quod tangitur. Qui modus dicendi omnia peruertit. Nec conſiderant, quòd dicat Ariſt. ma-

Simplicius.

teriam

teriam ſenſibilem ad differentiam materiæ intelligibilis; etenim eſſe ſenſibile his omnibus ſemper ratione accidentium attribuunt. Nihil etiã conſiderant, quòd dicit Philoſophus 2.de Anima: nutrimur calidis, frigidis, humidis, & ſiccis; nutrimur autem ſubſtantijs, ergo hę ſubſtantiæ. Quorum, ait, per ſe ſenſum habemus tactum, ergo ſubſtantia per ſe ſenſu percipitur. Non dicant autem, quòd percipitur per has qualitates, tanquam per accidentia. Sic enim per accidens haberemus ſenſum nutrimẽti: & ſic fortè guſtus eſſet magis propriè ſenſus nutrimenti, quàm tactus, quia proximius denotat conueniens, & inconueniens in nutrimento. Quoniam autem Auerroes dicet, cogitatiuam eſſe facultatem animæ ſenſitiuę, & hanc cognoſcere indiuidua omnium Prædicamentorum: Iſti ſtatim limitant propoſitionem, quòd ſubſtantia non eſt per ſe ſenſibilis per ſenſum externum. Inſtet aliquis, ſecundum vos. Senſus communis eſt ſenſus internus, ergo per ſe nihil vetat ipſum cognoſcere ſubſtantiam: Et idem multò magis adduci poteſt de imaginatione. Ita cõfugiunt ad gloſas excogitatas in propoſitione; quæ tamen ſimpliciter à Philoſopho eſt prolata. Sed hęc ita ſint dicta, in quibus nunc non quærimus quid ſit verum, & tenendum quod aliàs fiet. Modò ſtemus in re, in qua ſumus. Multa hic ab alijs dicta ſunt, quę apud illos legi poſſunt. Nobis ſolutionem proponit idem Simplicius com. illius tex. 65: *Sic igitur ſubſtantia eſt.* Et declarans quomodo per accidens ſit ſenſibilis, non ait; quia eo modo ſit ſenſibilis, quo communia accidentia, ſed quia dum, cum ſenſibili exiſtit, ratio excitatur ad cognitionem operatiuam de ipſa, & dicitur cognoſci per accidens à ſenſu; quia accidit accidenti, quod à ſenſu per ſe cognoſcitur, vt hominem accidere domino in Prædicamentis fuit dictum. Ex his Simplicij dictis primò accipimus, quòd dictum iſtud; ſubſtantia per accidens eſt ſenſibilis, eſt pronunciatum de ſubſtantia, quæ ſubiacet accidentibus: Hæc verò eſt ſubſtantia compoſita, quare non ſumus in eodem caſu. Loquimur enim nunc de differentia ſubſtan-

Locus lib. 2. de Anima tex. 28. explicatur.

Gloſæ Aduerſariorum confutantur.

Simplicius.

X tiali,

tiali, quæ si fuerit actiua, vt est in elementis, sicut nullibi dictum est, quòd sensu non percipitur, ita nullibi dici potest. Immo in nutrimento clarum est oppositum. De substantia igitur, quæ est subiecta accidentibus, quod ibi dicitur, verificandum est; quòd scilicet est sensibilis per accidens, nō autem de differentia substantiali. Nec isti quantūcunque inuertant aut tex. Aristotelis, aut dictum Simplicij, aliquid diuersum habebunt. Verūtamen hoc non sufficit. Nam Simplicius in Prędicamentis in tertia specie qualitatis, neque differentias substantiales cōcedit esse per se sensibiles: Quocirca res vlterius est resoluenda. Solutionem autem habet, & ipse ibidem, quæ non est diuersa ab ea, quæ nunc fuit proposita: *Non est* (inquit) *dicendum caliditatem ignis passiuam qualitatem esse, sed partem substantiæ; qualificationem autem, qua in corporibus fit ab ipsa, hanc dicendam passiuam qualitatem.* De hoc quidem dicto, quantum ad eius veritatem, nihil sollicitamur; quantum verò facit ad rem nostram, ait Simplicius, non sentiri caliditatem substantialem, sed sentiri qualificationem, quæ ab illa prouenit: quod videbitur nouum, nisi bene ad nostrum propositum declaretur. Dicendū igitur est, quòd caliditas ignis non sentitur prout est illius substantia: etenim caliditas ignis, prout est eius substantia, est in tali esse cum tali coniunctione, & nexu aliarum qualitatum; vt autem sic se habens nō sentitur. Iudicet enim sensus, si potest de nexu illo, & de tali esse caliditatis, qualia sint. Per hęc autem caliditas est ignis substantia, quare non sentit sensus caliditatem, quatenus est substantia. Caliditas verò per se accepta, vt est qualitas sui generis, sub qua ratione est solum qualitas, sensu percipitur. nam percipit sensus hanc esse caliditatem; quia calefacit, sed cuius sit caliditas, & qualis omninò sit, & in quo statu essendi sic vt formet ignem, nihil; vnde non sentitur illa caliditas quatenus substantia, sed sentitur solum vt qualitas. Et hoc est, quod Simplicius dicit sentiri qualificationem. Cui resolutioni simile est dictum Plotini cap. 1. lib. de Essentia, & Qualitate. Dubitauit autem

Quæ substantia sit sensibilis p accidēs.

Simplicius in Prædicamentis.

Non sentitur caliditas substantialis, sed sentitur qualificatio, quę ab illa prouenit.

Plotinus.

Plotinus hoc pacto. Istę qualitates singulę per se nõ sunt essentiæ. Quomodo igitur ex non essentijs fit essentia? Dubitat ipse Platonicè, & soluit Platonicè. Nos autem iam diximus, quòd per progressionem ad tale esse variatur ratio essendi in ente, cuius esse in participari est collocatum. Dicet verò aliquis. In ijs, quæ sunt accepta ad hoc statuendum, vidimus per illam progressionem ad esse perfectum, mutari speciem, tamen rem seruari in eodem genere: Quòd si per triangulum, & triangulare vidimus mutari Prædicamentũ, hoc tamen totum remansit in genere accidentis; quòd autẽ mutetur accidens in substantiam, hoc est mirum. Aduertendum semper est, quòd aliud est mutari accidens in substantiam, & aliud mutari accidentale in substantiale: Mutari accidens in substantiam; vt scilicet de se subsistat, quod de se non subsistit ex natura propriæ essentię, naturaliter est impossibile: Sed substantiale, & accidentale dicunt inexistentiam, quare variata inexistentia variari etiam essentialem conditionem in eo prçcipuè, cuius esse est participari, & haberi, vt statutum fuit in qualitate, nihil mirum. Addendum etiam est, quòd singula qualitas assumendo coniunctionem mutat necessario esse, cum acquirat esse determinatiuum materię, quod singula de se nequit habere. Hæc harum qualitatum conditio efficit, vt à Grçcis dictum fuerit aliquando, has qualitates esse medias inter substantiam, & accidens; quod etiam dictum fuit aliquando simpliciter de differentijs. Et quod habet Auerroes de formis elementorum, quòd sunt medię, habet inde originem. Verum Auerroes loquitur de formis ante qualitates; Græci de ipsis qualitatibus; & hoc dicunt ratione supra allata, quæ est diuersa ab ea, quam postea Auerroistæ assignarunt. Dicet autem aliquis respiciens ad ea, quæ in hoc capite sunt dicta. Positum est nutrimentum nutrire, quatenus est substantia; sentitur autem, quatenus nutrit, ergo sentitur quatenus est substãtia. Quomodo ergo nunc dicitur, quòd non sentiuntur hæ qualitates, prout substantiæ sunt? Aduertendum, quòd sentiri

Aliud est mutari accidẽs in substantiam, aliud accidentale in substã-tiale.

nutrimentum, prout est substantia, intelligitur contraponendo huic dicto, quòd sentiatur ratione accidentis coniuncti, & ei superuenientis. Nam sic nutrimentum sentiretur per accidens, quod oportet per se sentiri, non autem id fuit intelligendo, quòd sentiatur vt substantia in ratione propria, & & distincta sui esse substantialis; quod est id, quod nunc dicitur. Aduertendum est etiam, quòd sentiri nutrimentum, quatenus substantia, contingit dupliciter. Vno modo absolutè in ratione propria; vt scilicet cognoscatur esse propriũ substantiale ipsius: Et hoc neque fit, neque est necessarium. Alio modo in ratione relata ad nutribile, quatenus sentiatur prout simile, & restauratiuum: Et hoc fit, & est necessarium, nec repugnat ijs, quę dicta sunt. Tandem ne aliquid desideretur: aduertendum, quòd alia omnia, quæ accidentia sunt, sentiuntur sine actione materiali, sed per solam actionem spiritalem: Hæ qualitates sentiuntur interuentu actionis materialis, quare dici etiam posset, quòd sentiuntur ratione accidentis coniuncti; illa enim actio est accidens. Sed vtrùm hæc actio sit necessaria pro sensione simpliciter, aut secundum quid, aut etiam contingat per accidens, esset postea disputandum: quod hic non habet locum: alibi habebit. Erit autem hæc actio accidens non coniunctum magis, quàm productum. Hoc etiam dictum: substantia non est per se sensibilis à D. Thoma primo de Generatione in com. tex. 18. ita ponitur. Nulla forma substantialis est sensu perceptibilis, sed solum intellectu, cuius obiectum est quidditas; quòd quidem non eget multa reprobatione. Nam sentitur, non quid sit, sed quod sit; neque enim albedo sensu visus cognoscitur quidditatiuè. Quid autem si tentem ego hoc pacto Aduersarios? tex. 22. primi de Generatione, sic dicitur de alteratione: *Alteratio igitur est, cum ipso subiecto, quod sensibile sit manente, mutatum fuerit in sui ipsius affectionibus, quæ vel contrariæ sint, vel mediæ.* Subiectum, quod manet, est substantia cõposita: Hoc dicitur sensibile, ergo oportet substantiam esse sensibilem. Sic ex opposito, subiectum sensibi-

Nutrimẽtum sentitur quatenus substantia, quomodo intelligendũ.

D. Thomas.

Ostenditur, substantiã esse per se sensibilem.

ſenſibile non manet in generatione; quia generatio eſt circa matetiam primam. Dicitur itaque ſubiectum, quod ſenſibile ſit ad differentiam materiæ primæ, ergo ratione formarum ſubſtantia compoſita eſt ſenſibilis. Dicent fortè, quòd dicitur ſubiectũ ſenſile; quia ſemper manet ſubiectum cum aliquibus accidentibus, ſed dico ego: Illa accidentia non habent rationem ſubiecti, nec ſubiectum eſt ſubiectum alterationis ratione illorum accidentium, ergo ſi requiritur ſubiectum ſenſile, oportet ſubſtantiam compoſitam eſſe per ſe ſenſibilem ratione formæ, & differentiarum. Oportet enim, quod eſt pręter omnia, in quibus ſit alteratio accidentium, eſſe ſubiectum ſenſibile, alioquin alteratio eſſet malè definita; rei enim naturam, non euentum debuit Philoſophus reſpicere: Et ſupponatur euentus, quòd in omnibus accidentibus vnius compoſiti ſit mutatio, ſi ſubſtantia non eſt ſenſibilis, non eſt verum quod dicitur, manere ſubiectum ſenſibile. Quid ſi vlterius dicam? Prædicatum in propoſitionibus formalibus vel eſt de eſſentia ſubiecti, vel eſt accidẽs ſubiecto: & ſi eſt accidens ſubiecto, aut eſt accidens propriũ, aut accidens commune. Hæc propoſitio: ſubſtantia materialis eſt ſenſibilis, enunciat ſenſibile de ſubſtantia, quare cũ hæc propoſitio ſit formalis, vel prædicatum erit de eſſentia ſubiecti, vel erit accidens illius, ſiuè cõmune, ſiuè proprium. Non eſt accidens proprium ſubſtantię; quia conuenit etiam accidenti eſſe ſenſibile: Non eſt accidens commune ſecundum illos; quia conuenit ſolum accidenti, & conuenit ſubſtantiæ ſolum, quatenus accidens illi ſuperuenit. Relinquitur ergo, vt ſit prædicatum eſſentiale, quare oportet, ſubſtantiam materialem per ſe eſſe ſenſibilem. Sed dicent: quomodo per ſe ſenſibilis, ſi accidens etiam ipſum dicitur ſenſibile? Reſponſio eſt manifeſta, quòd ſcilicet eo modo per ſe, quo animal, quod eſt commune homini, & equo, quare etiam ſenſibile erit de eſſentia vtriuſque & ſubſtantia erit ſenſibilis per ſe ratione ſuarum formarum, & differentiarum. Sic Plato materialia, quæ fientia dicuntur per ſenſum

Subſtãtia materialis per ſe eſt ſenſibilis.

Plato.

ſum irrationalem opinione percipi, dicebat. Certum autem eſt, quòd ſentia dicit ſubſtantias, & has dicit percipi per ſenſum irrationalem, quare hæc eſt Platonis ſententia, quòd ſubſtantia ſit ſenſibilis. Sic etiam Antiquiores dicebant ens eſſe ſcibile, nullamque virtutem cognoſcentem vltra ſenſum agnoſcebant, quare, & ipſi ſenſum voluerunt cognoſcere ſubſtantiam: quod nunc negat contra omnem rationem, contra ipſum ſenſum, vulgaris Schola. Quid ſi adhuc quæram? Senſibile,& intelligibile diuidunt ens: Ex parte ſenſibilis eſt ens materiale: Ex parte intelligibilis abſtractũ. Sicut ens intelligibile, eſt intelligibile per ſe ex propria natura, ita ens ſenſibile debet eſſe ſenſibile per ſe: Ex parte entis ſenſibilis eſt ſubſtantia materialis (ſic Ariſt. *Subſtantiæ ſenſibiles omnes materiam habent*) Ergo ſubſtantia materialis debet eſſe per ſe ſenſibilis.

C A P V T XIII.

Expenduntur verba textus 17. Libri tertij Metaphyſicorum.

HABENT pro argumento inſuperabili hoc, quod ſcribit Ariſt. text. 17. 3. Metaphyſic. & eſt eiuſdem verbis: *Quæ verò maximè ſubſtantiam ſignificare videntur, aqua, & ignis, & terra, ex quibus corpora compoſita conſtant. Horum verò caliditates quidem, & frigiditates, & ſimiles paſſiones non ſunt ſubſtantia.* Ecce, dicunt, clarè has qualitates non eſſe ſubſtantias. Pro reſponſione autem ad hunc locum. Primò obſeruatur, quòd Viri graues, auctoritates tertij Metaphyſicorum, non magni faciunt; ſi quidem quicquid in eo ponitur, totum eſt dubitatio. Deinde conſideratur, quòd ad hanc auctoritatem ſatis eſſet gloſa ſuperius à nobis firmata, quòd certum eſt, has qualitates ſimpliciter acceptas non eſſe formas, & ſubſtantias; verum ſub tali conditione, quam

non

nòn accipit Aristoteles eo loco: & ideò dicit, ipsas esse passiones, non substantias. Verùtamen operęprecium nobis est, rem benè euoluere, & patebit in quali versentur errore, qui huic loco innituntur. Aristoteles tertio Metaphysices intendit proponere quæstiones, circa quas debet esse inquisitio; antea quam ea, circa quæ propriè est Metaphysica, ad contemplandum assumantur. Sic proponit ipse in principio: *Hæc autem ea sunt, de quibus Antiquiores perperam senserunt, aut quæ prætermiserunt, cùm sint necessariæ considerationis.* Quam quidem disputationem (ait) esse futuram solum dubitando, & ostendit ex dubitatione, & dialectica disputatione magnum fructum, & magnas commoditates in scientijs prouenire. Multas igitur sibi proponit quęstiones, de quibus omnibus disserit; ita vt sępe etiam disserat ex falsis, vt in prima dubitatione notat Alexander. Inter has est ista tex. 2: *Vtrùm numeri, aut longitudines, & figuræ, & puncta substantiæ sint quædam, aut non. Et si substantiæ: vtrum separatæ à sensibilibus, aut in eis.* Hanc quæstionem in eo tex. 17. incipit tractare: *Vtrum* (inquit in principio) *numeri & corpori, superficies & puncta, substantiæ aliquæ sint, aut non.* Ponit necessitatem dubitationis: *Quia* (inquit) *si hæc non sint rerum substantiæ, ignoramus, quæ sint entium substantiæ. nam passiones, motus; quæ ad aliquid sunt, dispositiones, & rationes, nullius substantiam significare videantur; quia talia de subiecto dicuntur, & nihil hoc aliquid est.* Rationes (ait Alexander) numeros dicit, qui substantiarum sunt, non substantię: Reddit ipse Philosophus rationem, cur ista non videantur significare substantiam; quia (inquit) sunt in aliquo, & nullum horum est hoc aliquid, quod notat substantiam de se subsistentem, vnde substantia, vt nunc accipitur substantia, importat de se subsistere. Hinc aggreditur disputationem, & intendit probare præcipuè corpus, de quo magis videtur, non esse substantiam. Accipit autem conclusionem, quam vult impugnare, & est maximè corpori conuenire esse substantiam; comparando scilicet corpus alijs, quia illis magis videtur

conue-

conuenire de se subsistere, quod declarat exemplo ignis, aliorumque elementorum, simul exponens, quomodo accipiat corpus; nempè id, quod est inaffectum, vt & Veteres ponebant, sed subijcitur affectionibus vt caliditati, frigiditati; hę enim sunt primę affectiones, quę corpori insunt. quod cum proposuerit, proponit de his passionibus, quòd non sunt substantiæ, & dictum tripliciter verificatur. Primò secundum Veterum sententiam; quia rei substantiam in principio materiali constituebant, quia quicquid illi adueniebat, affectionem, & accidēs vocabant secundo Physicorum. tex. 9. Secundò; quia nunc accipitur substantia, prout de se subsistens; istæ verò qualitates de se non subsistunt, sed sunt in alio, & ad hoc præcipuè se refert litera, & mens Philosophi. Tertiò; quia istæ qualitates, dùm considerantur in constitutione corporis, prout est corpus, non sunt de illius substantia, vt supra satis dictum est. Corpus igitur, ait Philosophus, non constitutum ex materia, & forma, sed trinum interuallum, vt Veteres ponebant, quod postea erit, (si ad verū sensum aliquem trahi debeat,) materia in molem educta, vt Græci dicunt, & diceret etiam Philosophus. Tantum igitur abest, vt hic locus sit pro istis; vt quinimo sit contra illos, quia inde apertè accipitur, nihil inter caliditatem, & ter dimensum, siuè materiam in molem elatam, intercedere pro igne constituendo. Progreditur postea Philosophus ad ostendendum, quòd hoc corpus, idest trinum interuallum Antiquorum non est substantia. Quod quidem nos non persequimur, quia non est de re nostra. Vtrum verò Arist. habeat ipse hanc doctrinā, quam diximus ex Græcis de hoc terdimenso, quod in Peripatetica doctrina significat materiam in molem eductam, & vocatur secundum subiectum, quærere aliquis poterit, cui hoc pacto respondemus. Si legamus Ammonium cap. de Quantitate nihil dubium; cum enim de hoc loquitur ait: *Quod secundum subiectum Arist. vocat*, & vera loquitur. Consideretur, quòd dicitur in primo de Generatione in cap. de Auctione. Quęrit ibi Philosophus

Passiones elemētorum, nō sunt substantiæ, triplex interpretatio.

Ter dimensum quid.

An secūdum Aristot. detur ter dimēsum.

tex. 33.

tex.33.vtrùm ſic fiat auctio,veluti cũ fit aer ex aqua; moles enim augetur. Ait,quòd non: Nam hæc eſt generatio vnius, & corruptio alterius;auctio neutrius. Si autem deberet eſſe auctio alicuius,erit alicuius communis vtriuſque; genito ſci licet, & corrupto: *Vt ſi corpus* (ait Philoſophus) *non eſt aqua aucta; quia perijt: non aer; quia non erat. ſi quid auctum eſt, erit auctum corpus*. Per corpus intelligit rectè Ioannes, hoc ter dimenſum. Et obſeruandum eſt in Philoſopho, quòd præſupponit eſſe hoc corpus. Non enim dicit non poſſe dici auctum corpus commune; quia non adſit, ſed concedit iſtud adeſſe, & dicit non poſſe dici auctum;quia non habet condi tiones eius, quod augetur, quas explicat Ioannes. Primò enim non eſt factum maius, aliquo extrinſecus adueniente. Præterea id, quod augetur, oportet ſeruare priorem formam; ipſum autem ter dimenſum informatum forma aquę, in mutatione ad maiorem molem ipſius aeris, non ſeruat priorem aquæ informationem. Quartò etiam Phycor. cum locum dicit ſimilem materiæ, materiam accipit in hoc trinũ interuallum conglobatam; dicensque illum ſimilem formæ tex.14. appellat magnitudinem ipſum compoſitum ex materia, & forma, materiam magnitudinis, hoc ſecundum ſubiectum. Sequitur ibi: *Quod, cum terminus, & proprietates Sphæræ detrahuntur, præter materiam nihil manet*. Vbi materiam, dicit quantitate huiuſmodi præditam. Detracto enim termino, qui dicit formam, & detractis proprietatibus,quę ſunt qualitates, remanet certè quantum. Et ſic ibi hanc materiam ſic in molem eductam Philoſophus proponit. Ioãnes Grammaticus de hoc ter dimenſo multa, & multis in locis, Primo Phyſicor. com. 53. in illa propoſitione: Principia ſemper manere, dicit, quòd multi id intelligunt de ter dimenſo, quod ſemper manet,cum ſit immutabile. Com. 56. nihil ex proxima materia; vt ex ſemine & menſtruo, remanet præter primam materiã ſubiectam, & id, quod triplici interuallo conſtat. Infra com. 60: *Atque ipſorum elementorum, & abſolutè rerum omnium eſt ſubiectum id, quod trino in-*

Ioan. Grammaticus.

Ioan. Grammaticus.

teruallo dimensum est; hoc est corpus qualitatum expers: In quo immutabili manente, vt in corpore, mutationes fiunt; substantialibus qualitatibus circa ipsum agentibus, ac patientibus. Com. 78. primi de Generatione: *Trifariam dimensum, & copus in affectum necesse est in loco esse.* Contra Proclum ratione 11. capit. 3. 4. 5. 6. & 7. non vult aliam esse materiam præter ter dimensum, quod disputat ex Stoicis, & Pericle Lydio etiam Simplicius com. 65. primo Physicorum. Nos igitur cum Aristotele, & omnibus rectè intelligentibus bene hoc ter dimensum consideravimus; quod quidem dicimus esse prius natura, quàm forma substantialis, per quam fit tale corpus: Idem dicitur ingenerabile & incorruptibile ratione propria: Dicitur corrumpi ad corruptionem formarum. Sed dicet aliquis. Formæ sunt natura posteriores, igitur ad corruptionē posterioris corrumpitur prius. Cur non, & sic ad corruptionem qualitatum potest corrumpi forma elementi? Sed aduertendum, quòd corrumpitur ter dimensum, quatenus varios acquirit terminos: Dicitur autē prius formis solùm natura, ac prout est indefinitum; sic enim consequitur materiam, & est conditio materiæ, & quantum ad hoc esse est immutabile quantum ad essentiam; mutatur tamen quantum ad existentiam, quia quantum ad hoc depen det à forma, & est posterius illa: Vt etiam materia quantum ad essentiam est prior forma; quia præsupponitur ab illa, quantum verò ad existentiam est posterior. Qualitates verò sunt semper posteriores substantia composita, & forma com ponente; quia ab ea fluunt. Quæret autem aliquis, cur Aristoteles loquens de materia, hoc simul non posuit inter principia. Ratio est, quia hoc trinum interuallum non habet rationem principiandi. Duobus autem modis accipi potest hoc trinum interuallum, vel vt dicit extensibilitatem materiæ: & sic non est res diuersa ab ipsa; est enim materia de sua potentia substantiali extensibilis, vel quatenus dicit extensionem in facto esse, & est reductum esse illam extensibilitatem ad actum: & sic formaliter dicit quantitatem. Et hęc extensio

Simplicius.

Quare ter dimensum, non numeretur inter principia.

extenſio actu facta, quantum ad eſſentiam non dependet à forma, ſicut nec materia, quantum ad eſſentiam; eſt enim illa extenſio primò conſequens materiam, ſed quantum ad exiſtentiam dependet. Quod ſic intelligitur. Si iſtud ter dimenſum concipiatur ſine forma, erit quid indefinitum, vt etiam materia. Si accipiatur, vt definitum, habet eſſe à forma, vnde dum mutantur res viciſſim, dicitur hoc ter dimenſum immutabile remanere; quantũ ſcilicet ad eſſentiã, quia non mutantur, niſi termini formas conſequentes, & ſecundum quos à formis dependet. Sic Ioannes Grammaticus com. *99*. primi de Generatione dicit, quòd erat immutabile, & in cap. de auctione dicit, non ſeruari idem. Quòd autem hoc differat à trina dimenſione interminata, quam ponunt Auerroiſtę, alibi dicendum erit. Accipiatur ex hoc loco id, quod poteſt accipi. Certum ſanè eſt aliud eſſe hanc trinam demenſionem Græcorum, & illam Auerroiſtarum. Hanc verò opinionem de hoc ter dimenſo ſæpiſſimè & Simplicius commemorat, dicitque eam eſſe omnium Peripateticorum, & Platonis. Com. 7. tertij de Cœlo, & com. 28. eiuſdem tertij, quod eſt ſuper tex. 29. adducit Alexandrum idem dicentem, immò ſcribentem, quòd in eo tex. Ariſtot. loquens de corporis Generatione, exponit id, quod ſibi placet de materia: Et eſt, quòd non ſit actu incorporea; ob ſcilicet naturam illam extenſibilitatis in dimenſionem, quam ſatis ſupra explicauimus. Videre poterunt locum, qui voluerint; ſicuti etiam videre poterunt, an Ariſtoteles conſtituens elementa in ſecundo libro de Ortu, & Interitu tex. 6. ea conſtituat non aliter, ac faciant Græci: vt primò ſcilicet proponat materiam in corporis molem tumefactam, deinde qualitates illi adiungat. Obſeruent, quòd Anaximandrum repręhendit, quòd ponat pro principio, ex quo fiant elementa corpus ſeparabile; ideſt de ſe exiſtens ante facta elementa, id repręhendit; quia ipſe ponit corpus inſeparabile, quod eſt materia ſic in molem educta. Cum præterea conſtituit elementa nominat materiam, ex qua fiunt potentia corpus ſenſibile;

Ioan. Grammaticus.

Simplicius, & Alexander ponunt ter dimẽſum.

ideſt naturale, nimirum præſupponendo in illa naturam cor poream non tamen ad huc ſenſibilem, & naturalem. Diximus autem nos antea, hanc doctrinam de hoc ter dimenſo eſſe doctrinam ſimilem doctrinę de figuris, ex quibus Plato facit elementa. Quomodo igitur erit doctrina Ariſtotelis, ſi Ariſt. reprobat illas figuras? Reſponſio eſt clara. Ariſtoteles rectè illas reprobat; quia figuræ Platonicæ ponunt determinationem in materia, quod non vult Philoſophus, & rectè; hoc verò ter dimenſum eſt totum materiale, & indeterminatum de ſe, vt rectè exponit Simplicius com. 9. quinti Phyſicor. vbi ſic loquitur: *Nam & ſi corpus qualitatis expers maneat, tamen, & hoc eſt materiale, & non aptum ad actionem, donec participauerit qualitatibus.* Quomodo ergo dixerit Simplicius doctrinam de tèr dimenſo eſſe etiam Platonis? Fortè Plato vti ponit in ente inordinato animam maleficam, & na turam indiſtinctam, ſic etiam ibi poſuit has figuras indeterminatum eſſe habentes. Quod alibi à nobis erit conſiderandum.

Differt ter dimenſum à figuris, ex quibus Plato conſtituit elemẽta.

Simplicius.

CAPVT XIIII.

Peroratio.

AB eo tempore, quo Medi Phocidem, & Bęotiæ extrema ſunt depopulati, extitit apud Bęotos prouerbium loco monumenti: Relinque aliquid etiam Medis. Quod poſtea, ſuauius, vſurpatum eſt in conuiuijs: Relinque aliquid etiam ſuperuenturis hoſpitibus. Hoc libenter ego vtar, niſi audaciæ ſit ad ſcribendum; vt ſcilicet videar mihi tribuere accuratam commentationem. Id tamen cupio non ignorari, me quædam prætermiſiſſe, quæ facile tùm ex ſe, tùm ex dictis cuicunque mediocriter exercitato obuia eſſe poſſunt, ne vt Chalcidius in principio Thimei dicebat, exiſtimer diffidere alio-

Prouerbium Bęoticum.

Chalcidius.

rum ingenijs, & superstitiosè ad gloriolam etiam compertissima inculcare. Quędam tamen licet peruagata, non duxi prætermittenda, quæ hoc capite, veluti perorando breuissimè volui colligere, admonitionis potius quam disputationis gratia. Dicuntur igitur nonnulla huiusmodi. Corruptis aeris qualitatibus adhuc aerem superesse, quippe qui non solum hyeme sit adeo frigidus, vt in glaciem vndas conuertat, sed in media, quam vocant, regione feruida in ęstate, adeo potenti frigiditate sit prędítus, vt grandines condenset. Dicunt futurum, vt vnum elementum duas habeat formas; quia singulum duabus est præditum qualitatibus. Adducunt tex. 24. primi de Generatione vbi dicitur, remanere frigidum, & perspicuum in mutatione aquæ in aerem, tanquam accidens vtrisque commune. Adducunt generationem in elementis habentibus symbolum, in qua dicitur, quòd aer mutato humido fit ignis, ergo dicunt, remanet caliditas aeris, tamen aer est corruptus. Et si aliquis confugiat ad hoc, quòd est diuersa caliditas, dicunt, ergo erunt octo qualitates. Contendunt has qualitates esse accidentia; quia numerentur cum alijs tangibilibus, quæ sunt accidentia; quia dicantur illę, in quibus fit alteratio, immò quę sunt principia alterationis, quæ etiam numerantur inter qualitates, & in Prædicamentis accidentium. Eousque deueniunt, vt pro certo habentes has qualitates esse accidentia, vereantur, ne qui tenent illas esse formas elementorum, reuertantur ad Veterum sententiam, quòd sola materia sit rei substantia. Putant magis esse dicendum, qualitates motiuas esse formas, quàm istas actiuas, & passiuas. Habent text. 5. octaui Metaphysic. vbi dicunt, Aristotelem dicere, qualitates primas non esse substantias. Quæ omnia à viris grauibus ore forsitan, & calamo sunt dicenda, non autem intellectu. Quantum quidem ad primum attinet, non est verum, corruptas esse aeris qualitates, quamuis sint in magna alteratione, dominantibus eo tempore elementis frigidis ob solis remotionē, vt habetur à Philosopho in Meteorologicis.

Difficultates aliquæ cōmunes cōtra opinionē de formis elementaribus.

Difficultas prima.

Difficultas secunda.

Difficultas tertia.

Difficultas quatta.

Difficultas quinta.

Difficultas sexta.

Difficultas septima.

Difficultas octaua.

Difficultates diluuntur. Ad primam.

Sic

Sic etiam media Regio est in continua aliteratione ob vapores eò continuè ascendentes; non tamen sic, vt sin t corruptę aeris qualitates, sed solùm alterate, modo magis, modo minus: vt etiã glacies est aqua valde alterata, veluti dicebat Alexander in primo Quæstionum, capitulo sexto. Quàntum ad secundum iam supra est expositum; quòd scilicet est vnica forma, quia vnica qualitas est domina, & simpliciter formalis. Quantum ad tertium; sunt illa exempla falsa, neque remanet aliqua qualitas, nisi eadem genere, vt ibi disputabat Ioannes Grammaticus. Sic etiam de alio, quod adducitur ex Generatione mutua eorum, in quibus est Symbolum; quę enim dicuntur à Philosopho, ex rei ratione dicuntur, non ex naturæ euentu, quandoquidem cum aer mutatur in ignem mutat etiam caliditatem in eandem, non genere, sed specie diuersam; cum aliam etiam mutet in qualitatem diuersam genere, humiditatem scilicet in siccitatem: mutatur enim nexus, in quo consistit formatio, quare omnes qualitates mutari oportet prout sunt formatrices. Sic non sunt octo qualitates secundum genus, sed octo secundum speciem: non sunt octo in se, sed octo vt participatæ materiæ, quod nihil refert. Ita quidem nos benè dicimus; qui verò tenent has qualitates esse accidentia, & specie diuersas fieri ea ratione, qua materiæ participantur, videant quid dicant; nihil enim inconuenit eadem specie accidentia differētibus & specie, & genere compositis inesse. Quòd si numerantur hæ qualitates cum alijs tangibilibus accipiuntur, vt qualitates simpliciter per se, & numerantur tanquàm causæ aliarum, quod indicat esse illarum substantiale. Si ponuntur in prædicamentis accidentium, iam dictum est quomodo in illis ponantur satis clarè, ne sit repetendum. Quare etiam nihil timendum, ne reuertamur ad Antiquos, quòd sola materia sit substantia, alia omnia accidentia, postquam omnia sunt ex his qualitatibus, quas illi supponunt accidentia. Error videlicet in hoc est, quod non sunt accidentia, sed substantiæ. Cur autem istæ, non autem motiuę sint dicendæ

Ad secũdam. Ad tertiam. Ad quartam. Ad quintam. Ad sextam. Ad septimã.

dæ formę, abundanter,& perſpicuè ſupra dictum eſt. De illo tex.5. 8. Metaphyſices nihil magis, quàm de alijs: Dicit ſiccitatem, & humiditatem, quas per ſe accipit eſſe paſſiones, quod & nos ſupra diximus. Quòd ſi Auerroes ideo ibi dubitauit, non eſt cur rationem illius habeamus.

Ad octauam.

FINIS.